DE

# ARTHRITIDE

## PRIMIGENIA REGVLARI

## *DISSERTATIO.*

BIBL. CODR. COLL. OMN. ANIM. OXON.

Auctore
GVLIELMO MUSGRAVE
REG. SOCIET. utriusque Socio.

Καὶ μακρὴ μὲν ἡ αὐτὴ ἡ νόσος, καὶ ἐπίπονος· θανατώδης δὲ οὐ. *Hippocrat.*




*OXON.*
E THEATRO SHELDONIANO.

Sumtibus JOAN. MARCH Bibliopolæ *Exonienſis.*
Proſtat apud *Joan. Sprint* ad Inſigne Campanæ in Vico Britannia minore; *Guil.* & *Joan. Innys* in Cœmeterio D. Pauli ab Occidente; & *Joan Osborne* & *T. Longman* ad Inſigne Navis in Patris noſtri Ædium ſerie, Bibliopol. LOND.

MDCCXXVI.

1726

Imprimatur,

*JO. MATHER,*

Vice-Can. OXON.

*Apr.* 29. 1726.

BODLEIAN LIBRARY
15
JUN
1926
OXFORD

Ampliſſimo & Prænobili

D. D.

# CLIFFORD

De CHUDLEIGH,

Baroni Libero,

Salutem.

ADIT *Te* demum, *Inſigniſſime* **Baro**, & in *Tuo* Nomine ſibi præfixo gloriari geſtit, Diſſertatio noſtra, de *Arthritidis* ea parte, quæ *Principalis* & *Primigenia* eſt. Opus utique ſeverum, neque politis auri-

bus accommodatum; at quod ſeveritatem utilitate ſperet quodammodo compenſare.

DOCET enim, qua *Arthritis* arte ſit tractanda; &, quotieſcunque perfecta & abſoluta ejus Curatio fuerit deſperata (ſæpiſſime vero contingit eſſe) docet, quibus illa modis ſuos intra limites & Cancellos retineri, &, ut ne Lethalis fiat, vel in *Anomalam* excurrat, inhiberi poſſit: Unde hoc effectum, ut ab hiſce monitis tutius, & (uti confido) lenius doleant *Arthritici*.

UTINAM ſane, quæ de hujus Opuſculi ratione *Tibi* narrantur, omnino eſſent abſurda, & à rebus *Tuis* aliena; ſed cum, ita ut fit, *Tute* etiam, ὑπὸ θείας ἐπάξιος, interdum impeditus ſis, habes, (*Vir Honoratiſſime*) quod *Arthritidis* genium & naturam, à me, qua poſſim arte, velut in Tabula depictam, ob oculos ponat: Habes unde eam præſentem mitigare, & regere; unde venientem antevertere, vel attenuare;

unde

unde vero longe abſenti poſſis occurrere, tum certius, tum etiam facilius.

UT autem hæc, hujuſce Libri Dedicationem, in partem aliquam excuſant; ita profecto alia ſunt, quæ *Tibi* eam fieri, & *Tibi* quidem præcipue, jubent ardentiſſime. Quid enim illa *Humanitas*, qua *Tibi* quotquot *Te* accedant, adeo devincis omnes; quid, inquam, minus illa requirit, quam ut omnes honorificentiſſime *Te* appellent? Quid in me Beneficiorum ille cumulus, quam ut de Benefactore tam munifico grate, & (quoad potero) digne ſermonem ubique faciam?

PLACET iccirco, & palam prædicare volupe eſt, quod cum alii, & quidem non pauci, ſine Virtute Religionem (at oh! quam umbratilis & fuco plena, quam inanis illa Religio, quæ eſt ſine Virtute) colunt; *Tu* è contrario *Pium eſſe non poſſe, niſi qui Vir Probus* etiam, & Honeſtus ſit, *nemo*

*Sanctus, qui non idem Juſtus* ſit, contendis. Placet denuntiare, quod *Tuorum* & Patriæ amantiſſimus, ab iis (rara vero hæc Felicitas, & à Viris ſæpe maximis deſiderata) pariter amere; dubiumque omnino fiat, Uter ſit Utri carior: Placet, quod ex aliorum incommodo non augeatur Res *Tua*, neminique gravis ſit *Tua* Magnitudo. Enimvero Divinorum is Ingeniorum mos eſt, ut Solis, ceterorumque Luminum inſtar cœleſtium agant, quæ Homines, quæ Animale Genus omne, quæ Frutices, ipſaque Mineralia, Calore foveant & Luce recreent; nulla vero interea Gravitate premant: ſibimet ipſis ſuum Pondus ſervantia.

PERANTIQUA & inluſtri Domo quod exortus, ejus hodie Princeps ſis, ipſe parum eſſe judicas; & quidem Aliis *Tecum* eſt commune: At quod talibus Ornamentis, utut eximiis & præclaris, præferas *Juſtitiam*; quod nulli, quia ſeorſum abs *Te* ſentit, vitio id vertas; quodque Alteri non facias,

cias, quod *Tibi* fieri non velis; hoc quidem ſingulare, hoc certe *Tuum* eſt.

QUID autem dicam

(*O! & Præſidium, & dulce Decus meum!*) de Otio *Tuo*; nobili, fateor, atque erudito; utinam & *Britanniæ*, convenienti? Quid de *Tuo* à Rebus publicis ſeceſſu dicam? quando *Te* ad eas adminiſtrandas, tam Natura, quam Educatio, fecit totum ex *Teipſo* aptum, cum primis ſcil. doctum & intellegentem.

QUORSUM enim Animi illa *Tui* ſublimitas? iſthuc comptum adeo, atque elegans Ingenium? illa plane venerabilis, tanta cum Auctoritate juncta Perſonæ Dignitas? Quorſum acri cum Judicio, tanta Vis Eloquentiæ? In Politicis Ænigmatibus explicandis tanta Facilitas? in iiſdem prænoſcendis, Sagacitas? in evitandis, Prudentia? Quorſum, inquam hæc omnia, niſi

niſi ut Lumen tam clariſſimum, in excelſo loco poſitum, tanquam è Pharo, quamplurimis prodeſſet?

QUERELAM utique plus quam mediocrem hac de re ſum meditatus, cum, irato Vultu, & Minarum pleno, meditanti mihi adſtare viſa eſt *DEVONIA*, meque clam admonere, neve *Tibi* moleſtus, neve Sibi ingratus eſſem: *Tibi*, procul à Negotiis beato; Sibi vero, tam magni Viri Numine & Præſentia.

HIS igitur (omni Cultu, & Honore, *Vir digniſſime*,) *Tibi* oblatis utere, fruere; &, ſi videbitur, favere pergas

*Tui* Nominis & Salutis

Studioſiſſimo

*Iſcæ Dunmoniorum.*
Solſtitio.
MDCCXXI.

*Guilh. Muſgrave.*

# Elenchus Capitum.

## Cap. I.


*Introitus.* Pag. 1.
*Invocatio.* 2
*Arthritidis Deſcriptio,* ib.
*& Diviſio;* 3
*In Primigeniam;* ib.
*Symptomaticam, & Anomalam.* 4


## Cap. II.


*Unde morborum Nomina ſumuntur.* 6
Ἀρθρίτις *unde.* 7
*Ab eo derivatæ, Græcæ,*
*Latinæque loquendi formulæ.* 8
Ἀρθρίτις *Nomen Generale:*
*Species ſunt,* Ποδάγρα. 9
*Ejus derivata.* 10
*Podagra cum Adjunctis,* 11
*ex variis Auctoribus collectis.* 12, 13
*Quid ſit rabida Podagra.* 12
*Poëtor verbum Ennianum.* 15
*Arthritis & Podagra ſæpe alternant.* 17
*Altera ſpecies* Χειράγρα *dicitur.* ib.
*Ejus Adjuncta.* 18
*Tertia ſpecies* Ἰσχιὰς. 19
*Ejus Adjuncta.* 20
*Coxendix pro eodem dolente.* 21

## Elenchus Capitum.

*Vocabula non ſatis idonea.* 22
*Alia denuo cudenda.* ib.
The Gout. 23

## Cap. III.

## Arthritidis Primigeniæ Deſcriptio.

*ARTHRITIDIS Deſcriptio.* 24
*Paroxyſmus Arthritidis perfectus quis.* 26
*Cum Tumor Articuli pallidior, Dolor proportione mitior.* ib.
*Deſcriptionis explicatio.* 27
*Arthritidis ad Paroxyſmum Apparatus.* ib.
*Arthritis ex tempore non fit.* 29
*Plenitudo univerſalis Paroxyſmum prænunciat.* ib.
*Initium quot dierum eſſe ſoleat.* 30
*Incrementum.* 32
*Status.* 34
*Declinatio.* 35
*Arthritides minus rectæ ſunt innumeræ.* 36

## Cap. IV.

## De Arthritidis Subjecto.

*ARTHRITIDIS in ſanguine materia Diatheſin facit Arthriticam.* 38
*In Membranis Glanduloſis, in Articulorum intervallis, Arthritida vagam.* 39
*In Articulis, Arthritida fixam, & in Tendinibus.* 40
*In Glandulis Articulorum Mucilaginoſis.* 41
*In Halluce.* 42

*Po-*

# Elenchus Capitum.


*Podagræ ſedes Principalis.* 43
*Aliæ minoris ordinis.* ib.
*Chiragræ Subjectum.* 44
*Cubiti Arthritis & Tumor Oviformis.* 45
*Humeri Arthritis.* 46
*Genu Arthritis.* ib.
*Coxæ Arthritis.* 47
*Arthritis Glandularum Morbus.* 49


## Cap. V.

## De Cauſis Arthritidis.


*CAUSA Arthritidis Conjuncta Acre aliquod;* 51
*exigua ſæpe quantitate;* 52
*eaque ab Acidis oriunda:* 53
*aliquando* γλιοχρὸν: ib.
*Sæpe ex duobus hiſce conjunctis, diverſa ratione;* 54
*Unde Curatio Arthritidis diverſa.* 55
*Cauſa* προγεγενὴς *Miaſma nunc congenitum:* 56
*Miaſma nunc a Matre una cum alimento acceptum;* 57
*Sanguini nunc innatum,* ib.
*ab ejus Dyſcraſia ſumens initium,* 58
*& Erratis in ſex Nonnaturalibus,* ib.
*Præſertim a nimia Quiete.* 59
*Miaſma per Lacteorum ora corpus ingreditur.* ib.
*Eorum magnitudo vindicatur.* 60
*hac porta intrant mali generis potulenta,* 61
*ut & intempeſtive ſumta,* ib.
*& Aquæ vitioſæ,* 62
*& Calx Dunmoniis multum in uſu,* ib.
*Reliquiæ* Δύσπεψιαι. 63


*Ma-*

# Elenchus Capitum.

*Maxima pars Arthritici Miaſmatis per* Lacteas *ingreditur*: 64
*Aliqua Utero*; 65
*Aliqua Pulmone*. ib.
Πρόφασις *alia Cauſam continentem in Sanguine movet*: 66
*Alia Cruorem ipſum exagitat*; 68
*Eum alia minuit*. ib.
*Ad Paroxyſmum conferunt externi Aeris conſtitutio*
*Humida*,
*Frigida*:
*Venti*. 69
*Artuum Imbecillitas ſive naturalis, ſive caſu facta*. 70

## Cap. VI.

## Arthritidis Differentiæ.

*Arthritis Fixa & Vaga*, 72
Παροξύσει & *Quieſcens*, 74
*Calida & Frigida*. 75
*A Cauſæ Conjunctæ diverſitate multiplex Arthritis*. ib.
*A Locis affectis*, 76
*Podagra*, ib.
*Chiragra*, 78
*Genuum Arthritis*, 79
*Cubiti*, 80
*Coxendicis ſive Iſchias*, ib.
*Humeri*. 81

# Elenchus Capitum.

## Cap. VII.

## De Prognosticis.

*CANONES Prognostici.* 82

## Cap. VIII.

## Curatio Paroxysmi.

*CURATIONIS Arthriticæ Indicatio generalis.* 96
*Curatio Paroxysmi* 97
*In ejus initio;* 99
*In Paroxysmi Incremento;* 100
*In ejus Statu;* 101
*In Paroxysmi Declinatione.* 103

## Cap. IX.

## Curatio Symptomatum.

*SYMPTOMATUM recensio.* 109
1. *Cardialgia.* 110
2. *Febricula.* ib.
3. *Dolor.* 111
4. *Inflammatio.* 114
5. *Vigilia.* 116
6. Δυσορεξία. 117
7. Ανορεξία. ib.
8. *Tumor Pedum Aquosus.* 119
9. *Hydrops.* 121

10. *Tofus.* 122
11. *Ulcera.* 125
12. *Gelatina Articulorum.* 127
13. *Tabes cum Maraſmo* 128
14. *Læſa Imaginatio.* 130
15. *Pruritus, et Exuviæ Cuticulares.* 131
16. *Claudicatio.* 132
17. *Crepitus Oſſium.* 133
18. *Tetanos.* 134
19. *Languor et Lipothymia.* 135
20. *Diarrhæa.* 136
21. *Vomitio nigra.* ib.
22. *Gangræna.* 137

## Cap. X.

## Prophylaxis Arthritica.

*PROPHYLAXIS occurrit Cauſis Antecedentibus, & Procatarcticis.* 139
*Arthriticorum gnati ut educentur.* 140
*Ut Arthritidi a Sanguinis Dyſcraſia,* 141
*a Lacteis nimis hiantibus,* ib.
*a Materia in Sanguine aliena,* 142
*ab intempeſtiva potatione,* ib.
*ab Aquæ et Aëris malitia,* 143
*a Dyſpepſia medeamur.* ib.
*Diætæ ratio qua Cibi, qua Potionis* 144
*Somnus Pomeridianus.* 145
*Vinum Arthriticis quibuſdam utile,* 146
*Ut et Pomaceum.* 147
Εκκοπτικα *crebro adhibita Dyſpepſiis occurrunt.* ib.
*Alienum in Sanguine cumulatum eluunt Aqq.*

# Elenchus Capitum.


*Bathonienſes et Briſtolienſes*, 148
*recte* 149
*diuque potæ* ; 150
*ut et Infuſum Teæ.* ib.
*A Ptyaliſmo nihil expectandum.* 151
*Purgatio nonnunquam utilis* : ib.
*Quem in modum adhibenda.* 152
*De Lactis et Raporum uſu quid dicendum.* 153
*Cauſis evidentibus ut occurratur.* ib.


## Cap. XI.


*Hiſtoria* I. *ad* Cap. III. 155
*Hiſtoria* II. *ad* Cap. III. 157
*Hiſtoria* I. *ad* Cap. V. 159
*Hiſtoria* II. *ad* Cap. V. 161
*Hiſtoria* III. *ad* Cap. V. 162
*Hiſtoria* IV. *ad* Cap. V. 163
*Hiſtoria* V. *ad* Cap. V 164
*alia ejuſdem.* ib.
*Hiſtoria* I. *ad* Cap. VI. 166
*Hiſtoria* II. *ad* Cap. VI. 167
*Hiſtoria* III. *ad* Cap. VI. 168
*Hiſtoria* IV. *ad* Cap. VI. ib.
*Hiſtoria* V. *ad Cap.* VI. 169
*Hiſtoria* I. *ad* Cap. VIII. 172
*Hiſtoria* II. *ad* Cap. VIII. 173
*Hiſtoria* III. *ad* Cap. VIII. 176
*Hiſtoria* I. *ad* Cap. IX. 177
*Hiſtoria* II. *ad* Cap. IX. 178
*Hiſtoria* III. *ad* Cap. IX. 179
*Hiſtoria* IV. *ad* Cap. IX. 181


*Hi-*

# Elenchus Capitum.


*Hiſtoria* V. *ad* Cap. IX. ib.
*Hiſtoria* I. *ad* Cap. X. 183
*Hiſtoria* II. *ad* Cap. X. ib.
*Hiſtoria* III. *ad* Cap. X. 184
*Hiſtoria* I. *ad* Cap. XI. 188
*Hiſtoria* II. *ad* Cap. XI. 189
*Hiſtoria* III. *ad* Cap. XI. 190
*Hiſtoria* IV. *ad* Cap. XI. 191
*Hiſtoria* V. *ad* Cap. XI. 192
*Hiſtoria* VI. *ad* Cap. XI. 194

# DE ARTHRITIDE PRIMIGENIA REGULARI *DISSERTATIO.*

## CAP. I.

DISS. I. CAP. I.

### De *Operis Dispositione.*

### ARTICULUS I.

*Introitus.*

MORBUM aggredior difficilem, varium, multiformem; jam diu sævientem, adhuc crescentem: Opus sane arduum, quodque merito scribentem a suscepto deterreat; sed invitat pulcherrimæ Veri-

tatis ſtudium, perſuadet Generis Humani bonum, *vincit Amor Patriæ.*

PLACET igitur, *Arthriticorum* domos intrare; Quærimonias, & Ejulatus audire; quid cuique ſuum inſpicere: placet Tribus eorum ordinare, omniaque, quantum illorum tenebræ, & noſtra ferat tenuitas & caligo, clariora reddere.

## II.

*Invocatio.* UT autem auſpicatius incipiam, Dei Opt. Max. (*qui per Medicamenta medetur ægrotantibus, eorumque tollit Dolores*) auxilio prius implorato, ab *Arthritidis Deſcriptione* & *Operis Diſpoſitione* ſumam initium; & deinde partes ordine percurram.

## III.

*Arthritidis Deſcriptio.* *ARTHRITIS* (ſenſu latiſſimo accepta) Morbus eſt, *qui Cauſam habet in Sanguine remotam; Materiam nempe vitioſam, & acrem; modo quieſcentem, ut ante Paroxyſmos, & in eorum intervallis; modo turgentem, & in Paroxyſmos evectam: id eſt, Dolores ſive Artuum erraticos, ſive Articulorum fixos, una cum Tumore, & aliquando Rubore Nitoreque facientem: progreſſu vero temporis alias Toſos, alias Imbecillitatem, ad Motum Impotentiam,*

*tentiam, aliaque ſexcenta Artuum mala, ſed plerumque cum Ægri emolumento, & interni corporis tutela, inferentem: Quem quidem alieni foras ejiciendi morem, cum Affectus alii non pauci imitentur, tot evadunt* Arthritides Symptomaticæ: *Quoties vero Materia ſive* Arthritidis Abſolutæ, *ſive* Symptomaticæ, *ad ea, quæ intus ſunt, impulſa fuerit, pro loci tunc temporis occupati fabrica & nobilitate, alia atque alia Symptomata cuduntur, periculum augetur, & letho ſæpe terminatur.* *& Diviſio.*

## IV.

Ex *Arthritidos* iſthac qualicunque Deſcriptione, lata & generali, tria proveniunt ediſſerenda: Primum, *Arthritis* illa (proprie ſic dicta) cujus Materia pura puta, propria, & ipſius ſua, principio in Sanguine tumultus ciet; deinde Artus, & eos quidem ſolos invadens, aut huc illuc per internodia vagatur; aut Articulis affixa Dolore, Inflammatione, &c. eos excruciat; & poſt varias acceſſionum vices, Gelatina & Toſis adimplet, motuque privat, aut ſaltem imbecilliores reddit: Qua tamen alieni e ſanguine expulſione, tametſi dura, multoque cruciatu comitata, Ægri vita ſæpe ſervatur, & ille Senectutem adipiſcitur. Atque hæc *Arthritis* appellari *In Primigeniam,*

poteſt *Primigenia*, *Regularis*, *Abſoluta*; quæ hactenus *Arthritis* ſola fuit æſtimata: de qua agit Diſſertatio Prima.

## V.

SED cum alii Affectus, iique certe complures & diverſorum generum, aliquando virus ſuum, & id quod habent alieni, more prorſus *Arthritico*, in Artus ejiciant, ibique Paroxyſmos edant, tanquam *Arthriticos*, graves ſcil. ſed et ſalutares, iiſque ſeſe aſſuefaciant: Hæ utique *Arthritides Symptomaticæ*, *Spuriæ*, *Simulatæ* a me habentur, & Diſſertatione tradentur altera.

*Symptomaticam,*

## VI.

CUM vero in utraque hac *Arthritide* (tam *Primigenia*, quam *Symptomatica*) modo & ratione non ubique optima, rem agi conſtet, & alienum id, quod Natura præcipue vult, & in animo ſemper habet, per Artus exturbare, ſæpe ad πὲ ἔσω vertatur; unde totius Morbi inverſus ordo, & mala ægrotanti innumera, ſæpiſſime etiam Mors illata: *Arthritis* ſic a primario ejus propoſito deflectens, & ægroto tam periculoſa, jure merito nuncupatur *Anomala*; & Diſ-

*& Anomalam.*

ſertatione

ſertatione tertia, pro rei dignitate, fuſius explicabitur. *Arthritis* igitur *Primigenia*, reſpectu *Symptomaticæ*; *Regularis* autem reſpectu *Anomalæ* dicitur.

HÆC eſt totius Ἀρθεπιδοχαφίας, qua late patet, Oeconomia.

DIS. I.
CAP. II.

# CAP. II.

## *Onomaſticon Arthriticum.*

### SECT. I.

*Unde Morborum nomina ſumuntur.*

MORBI nomina ſibi adſciſcunt, modo a Materia, ut Υδρωψ; modo ab invadendi more, ut Απoπλεξία, Επιληψία; modo a Symptomate præcipuo, ut Σπασμὸς, Ερυσίπελας, Παράλυσις, Χλώρωσις; modo ab Effectu, ut Γάγγραινα, Ελκος; modo a Similitudine ſeu vera, ut Φακὸς, Lentigo, Ελεφαντίασις, Τυμπανίτης; ſeu ficta, ut

ut Δῖνος, Vertigo, Καρκίνος, Cancer, Πολύπους, Ἐφιάλτης, Incubus; modo a Loco affecto, ut Κωλικὴ, Ὀδονταλγία, Πλευρῖτις, Ἀρθρῖτις, & Species ejus omnino omnes.

## II.

ΑΡΘΡΙΤΙΣ a veteribus Græcis ἀπὸ τοῦ Ἄρθρου nominata eſt; quod Articulos infeſtet, & in iis ſedem habeat principalem. Sic [1] *Aretæus*, Τῶν ἄρθρων πόνος ἡ Ἀρθρῖτις. Ita [2] *Hippocrates*, Ἀρθρῖτις νοῦσος, ὅταν ἔχῃ λαμβάνει πῦρ, καὶ ὀδυνὴ περὶ Ἄρθρα τοῦ σώματος. [3] alibique Ἄρθρων πόνοι, pro *Arthritis*, habet; ut & *Dioſcorides*. Hinc Ἀρθριτικός. ut apud [4] *Hippocratem*, κατὰ τὸν νόμον τὸν Ἀρθριτικὸν; juxta legem articularem. Interdum ἐλλείπεται ſubſtantivum: Sic [5] Ἀρθριτικὰ (ut alibi παδαγρικὰ) ſuppreſſa voce νοσήματα, pro Ἀρθρίτιδες. Hunc in modum Ἀρθριτικὸς, (ſubintellegendo ἀνὴρ) is qui laborat *Arthritide*. Ὦ τὸ Ἐντερον, ὅπερ δεξιᾷ Ἀρθριτικὸς ἐγένετο, λεῖος ἡσυχώτερος [6]. Latine Arthriticus; *Cicero* [7].

*Ἀρθρῖτις unde.*

*Ab eo Derivatæ, Græcæ,*

---

(1) De Morbis Diuturnis, lib. 2, cap. XII. (2) De Affectionibus, §. XXXI. (3) Aphoriſm. XXXI, lib. III. (4) De Articulis, XXI. (5) Aphor. XX, lib. III. (6) Popularium lib. VI, §. IV. (7) Ad Familiares, Ep. XXIII, lib. IX.

III.

## III.

*Latinæque loquendi formulæ.*

ARTICULORUM Dolor. *Celſus*,[8] Quibus articulorum Dolor certis temporibus revertitur. *Plinius*, Articulorum Doloribus illinitur[9]. Mitigat Dolores articulorum[10]. Articulorum Dolores tollere[11]. Articulorum Dolori prodeſt[12].

Articulorum Morbi. Podagris,[13] cum Articulorum Morbis, decoctum illinunt.[14] Prodeſt & Articulorum Morbis.[15] Articulorum Morbis impoſitus.

Articuli pro iiſdem dolentibus. *Plinius*.[16] Articulis Podagriſque imponunt.[17] Prodeſt Articulis, & Podagræ. Ita etiam *Pedes*, & *Coxendix*, pro iiſdem *Arthritide* gravatis, ſumuntur; ut exemplis infra oſtendetur.

Articularis Morbus. *Scribonius*;[18] Prodeſt ad Articularem Morbum. *Svetonius*;[19] Manibus pedibuſque Articulari Morbo diſtortiſſimis. *Plinius*;[20] Datur in Arti-

---

(8) Lib. IV, c. XXVII. (9) Lib. XXX, c. IX. (10) Lib. XXV, c. XV. (11) Lib. XXX, c. IX. (12) Lib. XX, c. III. (13) Lib. XX, c. II. (14) Lib. XXIII, c. IV. (15) Lib. XXVI, c. X. (16) Lib. XX, c. IX. (17) Lib. XXIV, c. VI. (18) Compoſitionum N. c. I. (19) In Galba c. XXI. (20) Lib. XXVIII, c. IX.

cularibus morbis. [21] Morbis Articularibus adverſantur. [22] Lenit Articulares morbos.

Articulamentorum Dolor. *Scribonius*; [23] Facit ad Dolorem Articulamentorum.

Articulamentorum Morbus. [24] *Plinius*, *Valerianus*.

Morbi Articularii. *Plinius*; [25] Articulariis morbis utile: [26] Illini: [27] Prodeſſe: [28] Mederi: [29] Imponi: [30] Laborantes: [31] Articularios morbos ſedat: [32] Sentientes.

## IV.

ΑΡΘΡΙΤΙΣ autem nomen hujuſce morbi generale eſt. A præcipuis ejus ἐν τοῖς ἔξω locis, ſpeciatim appellari ſolet ποδάγρα, χειράγρα, ἰσχιὰς; de quibus ordine. *Ἀρθρῖτις nomen generale.*

ποδάγρη, [33] *Hippocrates*, & [34] *Aretæus*; ποδῶν μὲν [πόνον] ποδάγρῃσιν καλέομεν. Ducitur ab ἀγρα Captura, & proprie ſignificat *Tendiculam*, *Pedicam*, qua ferarum pe- *Species ſunt. Ποδάγρα.*

(21) Lib. XXIII, c. ult. (22) Lib. XX, c. XVIII. (23) Compoſ. N. CCLXIII. (24) Lib. II, c. XIV. (25) Lib. XXXII, c. IX. (26) Lib. XX, c. IX. (27) Lib. XXVIII, c. LXVI. (28) Lib. XXV, c V. (29) Lib. XXII, c. XIII. (30) Lib. XXII, c. XXIV. (31) Lib. XXI, c. XX. (32) Lib. XXXII, c. IV, (33) De Affectibus, XXXII. (34) De Diuturnis, c. XII.

des

des capiuntur. Ad morbum hunc transfertur περὶ τὸ ἀγρεύειν τὰς πόδας, vel quod ſit ἡ τῶν ποδῶν ἄγρα. i. e. *Pedum Captura.* Diſerte de eo *Lucianus* [35] ποδάγρα καλῶμαι, γιγνομένη ποδῶν ἄγρα.

Hinc τραγοποδάγρα [36].

*Ejus Derivata.*

Ποδαγρὸς [36] *Lucianus*, & Epigrammata.

Ποδαγρικὸς, [37] *Hippocrates*, & [38] *Dioſcorides*. Utraque voce ſignificatur *ex pedibus laborans.*

Ποδαγρικὰ νοσήματα, [39] *Hippocrates*: & abſolute Τὰ [40] ποδαγρικὰ, Morbi Podagrici. Ita [41] *Dioſcorides* Helleborum dicit utilem πρὸς τὰ ποδαγρικὰ, ad Morbos Podagricos.

Ποδαγρέω [42] *Plato*; [43] *Ariſtophanes*; [44] *Julius Pollux.*

Ποδαγριάω, [42] *Plato*; [45] *Hippocrates*; [46] *Dioſcorides*. Utrumque verbum ſignificat *Podagra laborare.*

Ποδαλγὴς, ex Pedibus dolens. [47] *Julius Pollux.*

Ποδαλγὸς; idem; [48] *Gregorius.*

---

(35) In Tragopodagra. (36) *Hippocrates*, Prædictorum lib. II, § XI. (37) De Humidorum uſu, XI. (38) Parabilium, lib. I, c. 236. (39) De Criſibus VI. (40) Aphor. LV, lib. VI. (41) Hiſt. Plant. lib. IX, c. X. (42) In Alcibiade minore. (43) In Pluto. (44) Lib. IV, c. II. (45) Aphoriſm. XXX, lib. VI. (46) Lib II, c. XXXIX. (47) Loco jam citato. (48) In *Stephani Theſ.* G.L.

Ποδαλ-

Ποδαλγικὸς, idem; [49] *Dioſcorides*, & [50] *Hippocrates*: Εν τοῖς Ποδαλγικοῖς ὀδυνήμασι, In Doloribus Podagricis.

Ποδαλγία, idem cum ποδάγρα; [51] *Julius Pollux*, [52] *Chryſoſtom.*

## V.

VOX *Podagra* omni fere Latinitatis ævo, præſertim aureo, perplacuit; ut ex *Catullo*, *Cicerone*, *Ovidio*, *Gratio*, *Tibullo*, *Horatio*, *Virgilio*, *Celſo*, *Scribonio Largo*, *Plinio* majore, *Martiale*, *Sereno Sammonico*, *Cælio Aureliano* conſtat; etſi non ſemper eodem ſignificatu. [53] *Gratius* enim ea Canum in Pedibus affectum, [54] *Virgilius* Pecudum, *Plinius* [55] Milvorum & [56] Jumentorum exprimit: uſitatiſſime vero eam *Arthritidis* ſpeciem, quæ in humano Pede imo locum habet, hoc vocabulo Latini deſignare conſueverunt, & quidem hiſce cum Adjunctis: *Podagra*

*cum Adjunctis.*

Podagra Calida; [57] *Celſus*. Calda; [58] *Scribonius*.

---

(49) Lib. III, c. CL. (50) Morbis mulierum adjecta II. (51) Loco jam citato. (52) In *Stephani Theſauro.* (53) *Aut incurvatæ ſiqua eſt tutela Podagræ.* Cyneget. lib. I. (54) Georgic. lib. III, v. 299.

——— *Glacies ne frigida lædat*
*Molle pecus, ſcabiemque ferat, turpeſque Podagras.*

(55) Lib. X, c. X. (56) Lib. XXII, c. XXV. (57) Lib. X, c. XVIII. (58) Comp. CLVIII.

Podagra

Podagra correpti; [59] Idem. Contuſus Podagra; [60] *Macrobius*.

Corpora fœda Podagra; [61] *Tibullus*.

Nodoſa Podagra; [62] *Ovidius*. Locuples; [63] *Juvenalis*.

Rabida Podagra; [64] *Serenus Sammonicus*.

Quædam ſunt rabidæ medicamina digna Podagræ. Ubi *rabidam* vocat Podagram *Serenus*, quod intenſiſſimo dolore, & acerbiſſimo cruciata a multitudine Nervorum illius partis, affectos quaſi *rabidos* torqueat, & infeſtet. Ita hujus Poetæ Doctiſſ. Editor [65] *Keuchenius*.

In primo impetu Podagræ rubentis (hoc eſt calidæ) [66] *Plinius*.

Tarda Podagra; [67] *Horatius*. Podagris utile; [68] *Plinius*.

Podagræ morbus; [69] *Plinius*. Impetus; [70] Idem.

Dolore Podagræ correptus; [71] *Plinius*.

Ad Podagras Calidas aptum; [72] *Celſus*.

Ad frigidam Podagram Cataplaſma; [73] *Scribonius*.

---

(59) Comp. CVII. (60) Saturnal. II. 4, ex Emendatione Doctiſſ. *Bentleii*, Notis in *Horatium*, p. 330. (61) Lib. VIII, El. IX. XV. (62) I. de Ponto, El. IV, V. (63) XIII, Sat. 10. (64) Pag. 25. (65) Pag. 249. (66) Lib. XXVI, c. LXIV. (67) Sat. IX, lib. I. (68) Lib. XXXII, c. XXXVI. (69) Lib. XXVI, c. LXIV. (70) Lib. LXXVIII, c. IX. (71) Lib. XXII, c. LVII. (72) Lib. V, c. XVIII, §. I. (73) Comp. LX.

In

In Podagra; [74] *Plinius.*

In Dolore Podagræ; [75] *Hortenſius.*

In priore genere Podagræ; [76] *Scribonius.*

Podagris hirudines admittendas cenſuere; [77] *Plinius.*

Cum Podagræ doloribus arderet; (i. e. valde cruciaretur;) *Cicero* [78].

Hunc — nec tarda Podagra --- Auferet; [79] *Horatius.*

Podagris auxiliari; [80] *Plinius.*

Ad Podagram benefacit; [81] *Scribonius.*

Inflammationes Podagræ cohibere; [82] *Plinius.*

Qui complures annos doloribus Podagræ, crucientur maximis; [83] *Hortenſius* apud Ciceronem.

Si Podagra eſt; [84] *Celſus.* Podagræ præſidio ſunt; *Idem.

Malagma facit ad Podagram. [85] *Scribonius.*

Amurca Podagras foveri utiliſſimum eſt. [86] *Plinius.*

---

(74) Lib. XXV, c. VII. (75) Apud Ciceronem. (76) CLX. (77) Lib. XXXII, c X. (78) De Finibus, lib. V, c XXXI. (79) Sat. IX, lib. I. (80) Lib XXVIII c. VIII. (81) Comp. CI, CLVIII. (82) Lib. XXVII, c. XXXIII. (83) Tuſc. Qu. lib. II, c. XIX. (84) Lib. IV, c. XXVII. (*) Lib. V, c. XVIII, §. 33. (85) Comp. CCLXIV. (86) Lib. XXIII, c. XXXVII.

Podagræ

Podagræ illinere. [87] *Plinius.*

Podagras utiliter illini putavit. [88] Idem.

Podagris imponitur. [89] Idem.

In Podagræ morbum incidere. [90] *Svetonius.*

Podagra Diodorus, Flacce, laborat. [91] *Martialis.*

Podagras leniunt. [92] *Plinius.*

Lenit impetus Podagræ. [93] Idem. Levat. [94] Idem.

Podagras levat. [95] Idem.

Quidem Sale ſæpius ſumpto aiunt Podagra liberari. [96] *Plinius.*

Liberati ſunt Podagra. [97] Idem.

Podagræ medetur. [98] Idem.

Podagras mitigari pede Leporis. [99] Idem.

Podagram malagmate mollire. ‡ *Celſus.*

Perit Podagra. [100] *Catullus.*

Podagræ prodeſt. [1] *Plinius.*

Podagras refrigerat. [2] Idem.

---

(87) Lib. XX, c. XXXIII. (88) Lib. XX, c. LXXXIII. (89) Lib. XXVII, c. X. (90) De Ill. Gramm. c. III. (91) Lib. 1, Ep. 93. (92) Lib. XXVII, c. VIII. (93) Lib. XXXII, c. IX. (94) Lib. XXVIII, c. IX. (95) Lib. XXXI, c. XLV. (96) Lib. XXX, c. XXIII. (97) Lib. XXVIII, p. XXXIII. (98) Lib. XXVIII, c. LXII. (99) Ibi. (‡) Lib. V, c. XVIII, §. 35. (100) Ad Virronem LXIX. (1) Lib. XXVIII, c. XXVII. (2) Lib. XX, c. VIII.

Poda-

Podagra Chiragraque ſecatur. [3] *Martialis.*

Siquem tarda Podagra ſecat. [100] *Catullus.* Ita Græci πελόμαι ἀλγηδόσι. Doloribus, quaſi Serra, ſecor.

Podagras ſedat. [4] *Plinius.*

Solvere nodoſam neſcit medicina Podagram. [5] *Ovidius.*

Podagræ ſi juvenes tentarunt. [6] *Celſus.*

Radice ad Podagras uti. [7] *Plinius.*

Sumitur ab eo *Podagra*, pro loco illa afflicto; ut partim ex ſupra dictis, partim ex iis quæ ſequuntur apparet. Emollit Podagras. [8] *Plinius.*

Jubent Lepore marino Podagram fricari. [9] Idem.

Podagris illinitur. [10] Idem.

Hiſce conſimiles loquendi formulæ.

Æger Pedes. [11] *Gellius.* Pedibus. [12] Idem. [13] *Quintilianus.*

Ex Pedibus laborare. [14] *Cicero.*

A Podagra fluunt *Podager*, *Podagricus.*

Nunquam Poëtor, niſi Podager. [15] *Ennius.*

---

(3) Lib. IX, LXXIII. (4) Lib. XXI, c. LXXVI. (5) Lib. I. de Ponto, El. 4, 5. (6) Lib. II, c. VIII. (7) Lib. XXII, c. XXII. (8) Lib. XX, c. XCVII. (9) Lib. XXXII, c. XXXVI. (10) Lib. XXXV, c. LI. (11) Lib. XIX, c. X. (12) Lib. II, c. XXVI. (13) Lib. VI, c. IV. (14) Tuſc. Qu. (15) *Priſcian.* lib. VIII, pag. 829, Ed. Putſchian.

Juvant

Juvant fomenta Podagrum. [16] *Horatius* ex emendatione Doctiſſ. *Bentleii.*

Nihil prorſus ſtare putas Podager. [17] *Claudianus.*

Podagroſus à Podagra bene dicitur, inquit [18] *Chariſius.*

Quod deformi Senex, ac pædidus, ac Podagroſus [19].

Podagroſi eſtis, ac viciſtis cochleam tarditudine. [20] *Plautus.*

Octo Podagroſos. [21] *Lampridius*: ubi legunt nonnulli *Podagros.*

Podagroſi quod agant, habent. [22] *Vopiſcus.*

Si Podagroſis Pedibus eſſet Eutyches. [23] *Plautus.*

Podagricus non receſſit. *Laberius* apud *Chariſium.* [24]

In Podagricis. [25] *Celſus.*

Podagrici pedibus ſuis maledicunt. [26] *Petronius.*

Podagricum ſe eſſe dixit. [27] Idem.

Podagricus factus ſum. [28] Idem.

Articulis Podagricis proſunt. [29] *Plinius.*

---

(16) Lib. 1, Ep. II. (17) Ep. XXIX. (18) Lib. I, pag. 58. (19) *Lucilii* lib. IX. (20) Pœnulus A. III, S.I. (21) In Heliogab. XXIX. (22) In Saturnino. (23) Mercator. A. III, Sc. IV. (24) Loco jam citato. (25) Lib. IV, c. XXVII. (26) Cap. CXXXII. (27) Cap. CXL. (28) Cap. LXIV. (29) Lib. XXIV, c. XCII.

Poda-

Podagricus a pedum ægritudine. [30] *Chariſius.*

Datur Podagricis. † *Plinius.*

Podagricis fit Cataplaſma. † Idem.

Cydnus Amnis Podagricis medetur. [31] Idem.

Illinitur Podagricis. [32] Idem.

Podagricis imponuntur [33] Idem.

Medetur Podagricis. [a] Idem.

Podagricis prodeſt. [b] Idem.

Utut autem Ἀρθρῖτις Genus, & Ποδάγρα Speciem maxima ex parte denotet, illa nonnunquam Speciem, hæc Genus exprimere invenitur. De illa *Foeſius* inquit, *Quod ex partis cujuſdam affectæ nomine* Ἀρθρῖτις *ipſa ſæpe intellegatur.* De hac *Hippocrates* & *Trallianus*; quorum prior Aphoriſmis XLIX. & LV. per τὰ ποδαγρικὰ νοσήματα voluit Ἀρθρῖτις; poſterior Librum undecimum de *Arthritide* ſcriptum, περὶ Ποδάγρας inſcripſit. *Nomina hæc alternam.*

## VI.

ALTERA Species *Arthritidis*, ex Græcorum recenſione, dicta eſt ab iis Χειράγρα. 2° *Altera Species* Χειράγρα *dicitur.*

(30) Loco jam citato. (†) Lib. XXVII, c. IX. (‡) Lib. XXXVI, c. XVII. (31) Lib. XXXI, c. VIII. (32) Lib. XXI, c. CI. (33) Lib. XXIV, c. XXXVII. (*a*) Lib. XXV, c. XXIV. (*b*) Lib. XXXI, c. X.

ἐάγρα. Sic enim [34] *Aretæus*, Ξυὸς μὲν ἁπάντων τ̃ Αρθρων πόνος ἡ Αρθρῖτις, Χειράγρῃ δὲ χειρῶν καλέομεν. Eſt autem χειράγρα ἡ ἄγρα τ̃ χειρὸς: q. d. Manus captura Latine Chiragra, *Horatius*, *Perſius*, *Seneca*, *Martialis*. Prima Syllaba apud Poetas illos non una eorum Editione brevis legitur, ſed omnino perperam, & contra Linguarum Græcæ & Latinæ Genios. Iccirco germanam hujus vocabuli Scripturam apud eos eſſe *Cheragra* cenſet nobile par Criticorum [35] *Hen. Stephanus*, & [36] *Iſaac. Caſaubonus*.

*Ei adjuncta,*

Chiragra liberati. [37] *Plinius*.

Chiragræ medetur. [38] Idem.

Chiragra interquieſcit. [39] *Seneca*.

Chiragræ ſi juvenes tentarunt. [40] *Celſus*.

Juſta Cheragra ---- Contudit Articulos. [41] *Horatius*. Id eſt, magna, gravis, numeris ſuis abſoluta: Sic juſtus exercitus, juſtum prælium; *Livius*. Juſtæ inimicitiæ, pro magnis; *Cicero*.

--- Si lapidoſa Cheragra --- Fregerit Articulos. [42] *Perſius*.

---

(34) De Diuturnis lib. II, c. XII. (35) Theſ. L. Græcæ. (36) Ad Perſii lib. V, verſ. LVIII, pag. 389. voce χειράγρα. (37) Lib. XXVIII, c. IX. (38) Lib. XXIV, c. ult. (39) Ep. LXXVIII. (40) Lib. II, c. VIII. (41) Lib. II, Sat. VII. (42) Sat. V, verſu LVII.

--- Hæc

--- Hæc Cheragra eſt. [43] *Martialis*, ex Editione Cl. *Raderi*. Hinc Chiragricus, adjective; Taceo Chiragricas manus. [44] *Sidonius*. Subſtantive; Quæ in Chiragricis eſſe conſueverunt. [45] *Celſus*.

Ne Chiragrici apud eos otioſi. [46] *Hadrianus*.

Chiragrici manibus maledicunt. [47] *Petronius*. Sin cum *i* vocali ſcribatur hæc vox, longa ſit neceſſe.

## VII.

TERTIO loco Ἰσχιὰς, ἀπὸ τῆς ἰσχίου; quod denotat Coxam, ſeu Coxendicem. Ἰσχιάς ἐστι τοῦ ἰσχίου ἄλγημα, *Autor Definitionum medicarum*. Iſchias eſt Coxendicis dolor Ἰσχιὰς δ' ὅταν γένηται, ὀδυνὴ λαμβάνει ἐς τὴν περόσυσιν τοῦ ἰσχίου. Iſchias cum fit, Dolor corripit Coxæ juncturam. [48] *Hippocrates*. Ἰσχιὰς a *Gorræo* dicitur *Arthritis Coxendicis*. *Tertia Species Ἰσχιὰς,*

Ἰσχιαδικὸς, [49] *Hippocrates*. Ὠφελεῖ καὶ ἰσχιαδικούς. [50] *Dioſcorides*.

Ἰσχιαδικὴ φθίσις. [51] *Hippocrates*. Et de Medicamento, [52] *Dioſcorides*.

---

(43) Lib. IX, Ep. LXXIII. (44) Ep. XIII, Lib. III. (45) Lib. IV. c. XXVII. (46) Epiſtola ad Serviarum, in *Vopiſci* Saturnino. (47) Cap. 132. (48) Περὶ παθῶν. (49) *Steph.* Theſ. L. G. voce Ἰσχὺς. (50) Parabili lib. I, CCXXXVII. (51) In Coacis Præn. XXXVIII, 208. (52) Lib. II, c. CCV.

Ἰσχιαδικόν ἐστιν ἔμπλασμα ἀμωτικώτατον. Iſchiadi perquam eximium eſt ac ſingulare remedium.

Ἰσχιαδικοὶ, ὠφελοῦσι τὸν ἰσχιάδα.

Ἰσχιαδικοὶ, ὠφελοῦσι τὰ ἰσχία. [53] *Athenæus.* [54] *Euſtathius.*

Latine *Iſchias.* [55] *Serenus Sammonicus.*

Perfurit, & greſſus diro languore moratur.

Prodeſt Iſchiadi. [56] *Plinius.*

Bibitur propter Iſchiada. [57] Idem.

*Ejus adjuncta.* *Iſchiadicus.* Foliis Erythrodani tritis Iſchiadici ſanantur. [58] *Plinius.*

Medentur Iſchiadicis. [59] Idem.

Iſchiadicos uti hac herba, prodeſt. [60] Idem.

Iſchiadicis prodeſt. †† Idem.

Uſus Seminis ad Iſchiadicos. [61] Idem.

Iſchiadicis fimum bubulum imponunt. [62] Idem.

Imponitur. † Idem.

Iſchiadicos uri ſub pollicibus pedum utiliſſime tradunt. [63] Idem.

---

(53) Lib. XIV, p. 624. (54) p. 1078. (55) De Iſchiæ Morbo. (56) Lib. XXVII, c. X. (57) Lib. XXVII, c. XVI. (58) Lib. XXVI, c. LVIII. (59) Lib. XXVII, c. III. (60) Lib. XXVII, c. XXVII. (††) Lib. XXIV, c. XIV. (61) Lib. XXVII, c. XX. (62) Lib. XXVIII, c. LVI. (†) Lib. XXVI. c. LVIII. lib. XXIV, c. XIII. (63) Lib. XXVIII, c. LXII.

Pecu-

Peculiare Iſchiadicis (quod homines noſtri *Specificum* appellant.) ** Idem.

Iſchiadicis propinare. [64] Idem. Prodeſt. [65] Idem.

Huppurin utilem Iſchiadicis. [66] Idem.

Iſchiadicis infunditur. [67] Idem. Illinitur. [68] Idem.

Utile Iſchiadicorum infuſioni. [69] Idem.

Iſchiadicos dolores levat. [70] Idem.

Iſchiadicos liberant Salſamenta. [71] Idem.

Dicitur & de Medicamentis.

Clyſteribus infudere Iſchiadicis. * *Plinius.*

*Iſchiacus.* Vinum ad Iſchiacos. [72] *Cato* de R. R.

Iſchiaci cum maxime doleant. [73] *A. Gellius.*

Eodem modo, Coxendicum Dolores ſiſtit. [74] *Plinius.*

Ad Coxendicum Dolores intelligitur. [75] Idem.

*Coxendix* pro eodem dolente, plus vice ſimplici. Idem.

---

(**) Lib. XXVII, c. XCI. (64) Lib. XXV, c. CVI. (65) Lib. XXIII, c. XXVI. (66) Lib. XXVI, c. LXXXIII. (67) Lib. XXXI, c. XLIV. (69) Lib. XXVII, c. CXIII. (70) Lib. XXVI, c. XXVII. (71) Lib. XXXII, c. XXXIII. (*) Lib. XXXI, c. XLV. (72) Cap. CXXIII. (73) Lib. IV, c. XIII. (74) Lib. XX, c. VIII. (75) Lib. XX. c. XXXV.

## VIII.

*Vocabula non ſatis idonea.*

REJICIUNTUR a viris eruditis, tanquam minus idoneæ, & in ſuſpectis habitæ, voces Αρθελικὸς, Αρθελτικὸς, Αρθέλτης, Ποδάγρης. Ποδάγρεια, Ποδαλγέω, Ποδαργία; Hic Morbus infima Græcitate Γάουρα, quaſi *Gout-ſore*, appellatur. Arthricus, Arthreticus, Potager, Chiragra cum prima Syllaba brevi, Articularius Subſtantive, Schiatica, Sciatica, Schiatici, Schias, Coxarii, Morbus Coxarius: quæ Auctorum, aut eos tranſcribentium inſcitia vel incuria, tractu temporis in nobiliſſimam hancce diſciplinam irrepſerunt, eamque turpiter inceſtarunt.

UT Vocum hujuſmodi monſtris *Arthritida* vincere, & tanquam incantamentis arcere, ne diutius videamur Ονομαστικὸν iſthuc qualecunque adornavi, quo ejus ope, ſi non majori cum efficientia ſaltem minori cum barbarie, morbi hujus Hiſtoria tradatur.

## IX.

*Alia denuo cudenda.*

NIHILOMINUS *Omagra*, *Gonagra*, *Odontalgia*, & alia iſtiuſmodi vocabula, quæ *Arthritidis* Species ἀνωνύμους ſignificant,

cant, tametsi veterum auctoritate minime sancita, propter Linguæ Latinæ defectum, in usum trahi permittit Analogia, jubet necessitas.

Meis deesse videar, si Nomen hujusce Morbi vernaculum [*the Gout*] omisero; quod quum a non nemine in Linguæ *Anglicanæ* radicibus habetur, nihil eo insscitius aut ineptius esse potest. Nam *Arthritis* cum Morbis *Catarrhosis* adnumeretur, vel minimum ab humore quasi *guttatim* in articulos stillante fiat, ea de causa *Guttæ* nomen adepta est; sed non nisi Latinitate prolapsa dicam? imo Barbarie jam evicta. *Radulfus* Dominicanus, in vita *Richardi Ciceſtrenſis* Episcopi, citante *Du-Cagnio*, ita scribit [*cum* Gutta, *quam* Podagram *vel* Arthreticam *vocant*, *frequenter vexaretur*.] Claruit ille *Radulfus*, ut ex *Balæo*, & *Lelando* constat, A.D. 1270. Ab ea voce derivatur Anglice, [*the Gout*:] Gallice, [*la Goutte*:] Italice, [*Gotta*:] Hispanice, [*Gota*:] Hibernice, [*Guta*:] Teutonice, [*Gicht*:] Belgice, [*Glichte*:] & in omnem pæne Europam soboles spuria dimanavit. *the Gout.*

Hæc de *Onomastico Arthritico* hactenus.

CAP.

Diss. I.
Cap. III.

# Cap. III.

## *Arthritidis Primigeniæ* Descriptio.

---

I.

*Arthritidis Descriptio.*

*ARTHRITIS Primigenia Regularis*, ut eam jam serio aggrediar, morbus est diuturnus, qui a materia quadam aliena, & naturæ inimica, nunc in Sanguine nata & ejus indigena, sed aliunde crebrius accepta, & in eum advena, producitur. Ubi vero cunque nascatur, in Sanguine, veluti Seminario, crescit, vires adquirit, &

& paulatim evehitur; uſque dum moleſta Naturæ, & ejus Oeconomiam interturbans, non ſine Orgaſmo quodam, interdum immani, variiſque Symptomatibus inſignito, ex Sanguine proſcribitur, in Artus expellitur, eorumque maxima ex parte Articulis impingitur.

CUM eo res deducta eſt, nova exoritur rerum facies, nova prorſus ſeries Symptomatum: Primo nimirum loco Articuli jam occupati Teneritudo & Dolor, iſque perſæpe acutiſſimus, & omni patientia major: hunc a tergo ſequuntur, & fide comitantur *Febricula*, *Vigilia*, dies & noctes inquietæ. Deinde *Tumor*; alias inflammatus, ſubrubens, Cutis habens *Nitorem*, *Ardorem*, & *Lævitatem*; alias, ſine inflammatione, pallidus. Prior ille dierum aliquot incrementum habet, cruciatibus, planctu, miſeria plenum. Ubi vero juſtam magnitudinem implevit *Tumor*, remittit *Dolor*, & paulatim *Inflammatio*; manet *Tumor*, ſed albus, & tolerabilis; cujus materia paucis poſt diebus diſſipari ſolet Ἀλάπνοη inſenſili. Sequitur animi *Lætitia* ſolitoque major *Alacritas*, Spirituum vigor, & ovatio, donec materia in Sanguine renovata, denuoque turbas in eo ciente, Paroxyſmus iterabitur, Corpus, in junioribus & ætatem mediam agentibus, ſa-

tis

tis habile. Atque hæc in Articulis Tragædia *Paroxyſmus* eſt *Arthritidis*, ſuo genere perfectus, & numeris abſolutus; cui in ſenibus Podagroſis ſæpe diuque laborantibus, interdum & junioribus accedere ſolent *Toſi*, in Cubitio *Tumor*, Ovo molli gallinaceo nondum excluſo ac aere indurato ſimilis, *Articulorum diſtortiones*, & imbecillitas, ambulandi atque adeo gradiendi impotentia, cum a morbis pleriſque aliis immunitate.

QUANDO vero *Tumor* Articuli pallidior, & frigidior, pari fere proportione Dolor etiam mitior eſſe ſolet; ut & alia propemodum omnia, quotquot ea ſunt e graviſſimorum ordine Symptomata. Horum clementiam aliqua ex parte ſupplet Paroxyſmi diuturnitas, ad dies aliquot ſeptenos, ad menſes interdum complures. Antedictus ille curſus *Arthritidis* incitatus eſt, rapidus, & velox; hic gradu lento & teſtudineo peractus. Non ita cito ſubſidit Tumor; e diverſo in grandioribus, partim ætate, partim *Arthritide* confectis, non niſi ſub ipſius vitæ exitum: perpetua vero his homuncionibus membrorum imbecillitas; unde ad motus obeundos non ſatis idonei, vitam agunt plerumque ſedentariam quoad humorum abundantia vitioſorum oppreſſi, viribuſque defi-

deficientes, cum morte vitam commutaverint.

## II.

UT autem penitus intellegatur ea, qualis qualis sit, *Arthritidis* Descriptio, partes ejus explicandæ & plenius exponendæ sunt, viz. *Apparatus*, *Initium*, *Incrementum*, *Status*, & *Declinatio*; tam quemadmodum se habent in Paroxysmo omnium maxime perfecto, quam ut in aliis ab ea perfectione & ἀκμῆς deficiscentibus. Enimvero nemini non notum est, ejusdem Speciei morbis omnino exquisitis, suam esse latitudinem, & in perfectione varietatem, alios scil. aliis longe absolutiores esse, & de his ab illis, ut amussi certissima, optime ferri posse judicium. *Descriptionis explicatio.*

APPARATUS ad *Paroxysmum* omne illud includit *tempus, a quo Miasma Arthriticum in Sanguine recondi incipit, ad ejus* ἐν τῷ παροξύνειν *eruptionem.* Hoc in alio corpore, imo quidem eodem, si longitudinem ejus spectemus, aliud & diversum est. Nam in *Arthritide* hæreditaria cum ipsa vita sumit initium. Miasma a parentum altero vel utroque acceptum in Sanguine retinetur, donec multos inde post annos sese efferat, & naturam ad Paroxysmum *Arthritidis ad Paroxysmum Apparatus.*

xyſmum incitet, *Apparatus* hic annorum triginta, vel quadraginta eſſe ſolet: quo temporis ſpatio non id ex omni parte deſes, & otioſum eſſe cogitandum eſt. Certe quoties *Arthriticorum* gnatos, eorumque morbos *Rachitidem*, *Dyſpepſian*, *Tormina*, *Convulſiones*, *Tabem*, alioſque, quibus illi graviſſime conflictantur, animo advertam, opinari fere cogor, eos non ſemper exquiſitos eſſe, ſed Miaſmatis *Arthritici*, imbecillis adhuc & impotentis quaſdam proluſiones, & in morbis efficiendis quaſi Tentamina. Tamen etſi tot annorum hujus *Arthritidis* (ſcil. hæreditariæ) *Apparatus* eſſe ſolet, viginti atque adeo decem annis aliquando, ne dicam citius conficitur.

SI vero Miaſmati congenito *Bacchus* & *Venus* auxilia tulerit, itaque *Arthriticus*, non una ratione futurus, Paroxyſmum maturaverit, qua parentum infortunio, qua ipſius culpa, quinto vel ſexto vitæ luſtro eum aliquando corripi, notatum eſt.

IN Gulæ & Vino deditis, ſine labe ulla hæreditaria brevior *Apparatus*, viginti nempe annorum plus minus. Hi enim quarto fere luſtro ſe primum indulgent, & ſeptimo vel octavo, cumulata jam in Sanguine materia vitioſa, dolent.

IN

IN *Cereri*, *Baccho*, & *Veneri* dicatis, aliquanto brevior adhuc *Apparatus*: Horum aliquos novi annum ætatis ante triceſimum *Arthritide* teneri, urgeri, & graviſſime cruciari.

PROBANT *Apparatus Arthritidem* ex tempore non fieri; ſed ad eam concipiendam opus eſſe malis moribus, & diuturnitate temporis; qua ἀνεπιτήδειον affatim in Sanguine coacervetur; qua naturæ faceret injurias, eique bellum indiceret.

## III.

QUAMDIU virus *Arthriticum*, iners & imbecille, Sanguinis rivo deliteſcit, neque turbas aut tumultus ciet, plenitudo frequens eſt, rara vero ulla de eo incidit ſuſpicio. Sed quam primum illud extollere ſe, & naturæ quieti, qua nihil ei carius, aut commodius, vim inferre conetur, jam inde *Paroxyſmus* incipit *Arthriticus*. In quo ſæpe primum obſervatur univerſum corpus, eo quod Sanguis ὀργιᾷ inflari, tumefieri & ad motus obeundos, ſegne jam & torpidum, minus idoneum & habile reddi. Facies immutata, modeſta, neque tamquam liberi hominis; alias pallida, alias præſertim in margine flaveſcens, ſemper affecta: Oculi vigore diminuti, lan- *Initium.*

languidi, gravati: Viſus, ut et omnes Senſus obtuſiores: His adjungi ſolet Capitis oſcitatio, gravitas, *Dolor*, & *Vertigo* aliquando pertinaciſſima. In medio ventre Difficultas ſpirandi: In imo Ανορεξία ſubinde *Nauſea*, Ructus interdum acidus, & quidem hominum alias edaciſſimorum, abſque ullo in victu erratio Water-pangs. Evileſcit hoc tempore Tabaci fumus, quibus ille vita carior & odio jam habetur id, quod maximis fuit in deliciis. In corporibus duris, & frigoris acerbiſſimi patientibus, inſolita teneritudo, algor, rigor. Ut hæc Symptomata naturam aggravari, alia brevi emergunt, quæ ad novum aliquod opus in ſui defenſionem eam aggredi, & ſe ſuccingere palam oſtendunt: *Æſtus* ſcil. Corporis, ſed *Rigore* nonnunquam interruptus, *Sitis* & *Pulſus* aliquanto celerior.

INITII duratio incerta eſt, ſed raro diebus viginti minor, aliquando ſexaginta (ne quid amplius dicam) major. Sæpe enim ægrotantem novi alium *Capitis dolore*, alium *Vertigine*, alium *Dyſpnœa*, alium *Fame læſa*, alium *Nauſea* & Δυσπεψίᾳ graviter, & diu, quadraginta ſexaginta ſcilicet dies, interdum eo diutius afflictum; cum tamen hæc & hujuſmodi mala tam diuturna, *Arthritide* in Artus erumpente, & ſe-

ſe

ſe palam profitente, nihil aliud fuiſſe conſtat, quam Naturæ in morbo difficili conformando laboris intentiſſimi & in ejus miaſmatis enixu tamquam ὠδῖνας.

IMO equidem non raro fit, quod Paroxyſmorum *Initiis* anni complures impendantur, eoque tempore, in Paroxyſmis elaborandis, & modo formaque recta ordinandis, Natura maximopere deſudat; *ſed incaſſum.* Licet enim Miaſmate plus ſatis aggravata, in artus ſæpe natura illud ejiciat, nihilominus non tam *Morbum Articularem*, quam *Rheumatiſmum*, internodia mordentem, huc illuc errantem efficere cenſetur. Hujuſmodi crebra nobis obvenere exempla, quorum unum alterumque luculentum & fide bona traditum ſuo loco ſubjiciam.

IN junioribus *Arthriticis* Paroxyſmorum *Initia*, præcipue prima, non ſemper obſervantur: Poſt Dolores *Arthritidis* ad decennium uſque vagantes, & in Paroxyſmo cudendo — conatus irritos, ægrotantem vidimus Dolore correptum Articulari, ſed de *Arthritide* ne cogitantem quidem. Tantæ nimirum morbi hujus in ortu ſuo tenebræ & obſcuritas, aut in notando illius ortu ægrotantis incuria! In ſenioribus alia res eſt: Hi enim periculo ſuo edocti, Miaſmatis *Arthritici* in Sangui-

ne

ne motum mature ſentiunt, orgaſmum prænunciant, & inſtanti Paroxyſmo caute proſpiciunt: & de ſuis hac in re Prædictionibus, non parum gloriantur.

## IV.

*Incrementum.* VELITATIONE finita, comminus ægrum aggreditur *Arthritis*. Primum ejus ictum ſentit Articulus Pollicis, in pedum altero major, & interior, cum ei ſubjacente globo. Hæc illius ſedes optatiſſima, & principalis, quam ultro adit, ut domicilium, maximeque incolit. Alibi agit, tanquam Hoſpes; hic domi ſuæ. Articuli jam δυσκινήτω primum *Rigor* eſt cum *Teneritudine*; deinde *Dolor*. Hoc rerum ſtatu eadem pene omnibus Arthriticis, prima vice correptis, Error & alucinatio, nempe ut *Arthritidi* ægre ſe dedant, neque ea ſe corripi facile agnoſcant. Notatum eſt ab † *Aretæo*, quod [*Doloris cauſam non legitimam afferunt, aliqui novæ crepidæ attritum, aliqui longam obambulationem, alius plagam, aut calcationem, nullus inteſtinam do-*

† Πρόφασιν ἢ αἰτιῶνται ἀναίτιον, οἱ μὲν κρήπιδος κενέης τρῖβον. οἱ δὲ μακρὴν ὁδοιδυν. ἄλλος δὲ πληγὴν ἢ πάτημα. ἐδεὶς δὲ φρονέοντι τὴν οἰκηΐην ἔσαν. ἀτὰρ καὶ ἀκέουσι τοῖσι πάσχουσι τὸ ἀτρεκὲς ἔδεξε ἄπιστον.

De morbis diuturnis, Lib. 2. Cap. XII.

*meſticamque*

*meſticamque cauſam explicabit. Quinetiam ægrotis verum audientibus incredibile eſſe videtur.*] Adeo patet non tantum morborum, ſed et iis affectorum omni propemodum ævo, morem & ingenium idem fuiſſe. At technis eludi reſpuit *Arthritis*, neque ejus ὀξὺ βέλος facile vitandum. Urget *Dolor*, qui ut aſper in corpore motus à ſenſibus ſemper alienus, ut e ſuppliciis humanæ vitæ graviſſimis unum, hic cum primis acerbum ac crudele eſt. Apud hujuſmodi afflictos nihil frequentius audire licet, quam ejulatus, gemitus, exclamationes, tanquam omnium, quot ſunt, quotque fuere mortalium, miſerrimorum. *Podagrici pedibus ſuis maledicunt, Chiragrici manibus.*

DOLENTIBUS inquietum tempus, ſomno, miſerorum illo ſolamine, expers. Vigilanti *Arthritico*, dolenti, & inquieto ſupervenit *Febricula*, ſiti & æſtu corporis univerſali comitata. Rubet, tumet Articulus nuper occupatus, tamquam ab animali venenato morſus. Creſcit indies *Inflammatio*, & per omne ejus augmentum, nihil ægroto, qua Dolore, qua Vigilia, qua Febre ſimul laceſſito triſtius; nihil, ſeipſo judice, calamitoſius.

TUM *Arthritico* convenit, *Polemonis* illud in Paroxyſmo graviter afflicti, acute

dictum. Δεῖ ἐσθίειν, χεῖρας οὐκ ἔχω. δεῖ βαδίζειν πόδες οὐκ εἰσί μοι. Δεῖ ἀλγεῖν, τότε καὶ πόδες εἰσί μοι & χεῖρες. i. e. *Cibus capiendus eſt, manus non habeo: incedendum eſt, deſunt mihi pedes. At dolendum eſt, ſunt & pedes mihi, & manus.*

PAROXYSMI *Incrementum* a *Dolore* primo orditur, & *Tumore* jam perfecto, & juſtum in modum elato terminatur; quod temporis ſpatium fere triduanum eſt.

## V.

*Status.* PAROXYSMI *Statum*, a *Tumore* magnitudinem ſuam implente, ad *Doloris* uſque ceſſationem appello; quod plerumque bidui, vel tridui ſpatium eſt. In eo ſic, ut *Tumor* ejuſque *Rubor* augetur, iis, ex lævitate Cutis extenſæ, *Nitor* adjicitur; & eadem proportione, qua *Tumor* augetur, remittit *Dolor*, unaque cum eo *Febricula*. Aliquanto jam pacatior res eſt. Quieſcit denique, dormit *Arthriticus*, & cibo reficitur; unde viribus inſtauratis ſe recolligit, & otioſe ſuis declarat Paroxyſmi nuperam ſeveritatem; pedicis, manicis, cauterio, tormento omni graviorem, Patientiam Stoicorum vincentem. Tunc vitæ anteactæ pœnitet, de ſobria firmum magnoque animo propſitum, & de

de ea perducenda cum familiaribus magnopere consulitur.

## VI.

A *Doloris* exitu *Paroxysmi* incipit *Declinatio*; in qua præcipuæ notæ Symptoma *Tumor* est; reliqua ante hoc tempus, & quidem ordine jam dicto solent intercidere: sed & *Tumor*, *Rubore*, *Nitoreque* depositis, paulatim mitigatur: Magnitudinem dies aliquot retinet, deinde (Materia transpiratione insensili fugata) detumescens, *Rugas* acquirit, & interdum *Squamulas*. Articuli manet imbecillitas; Spiritus, uti multo labore, fatigati, cessat Paroxysmus, Corpus infirmatum est: quæ tamen omnia somno, Quiete, & Diæta tolluntur, & a Paroxysmo *Arthriticus* sæpe vegetior evadit: sed quibus firmiores spiritus animales, minus illi deprimuntur: hujus ordinis Arthriticus olim mihi narravit, ante Paroxysmum neminem se hebetiorem aut ad res gerendas magis ineptum esse, absoluto eo neminem paratiorem aut magis idoneum. *Declinatio.*

## VII.

HOC in *Arthritide* Rectum est, & quidem *Arthritides minus*

*rectæ sunt innumeræ.*

dem media circiter ætate laborantium, pleno corpore, & temperamento sanguineo præditorum. Ab eo quæ deflectunt, innumeræ sunt *Arthritides*, etiam exquisitæ: imo quidem *raro*, quod sæpe mihi in animo fuit, *duas invenire licet ex omni parte congruentes*, & ὁμόλογας sed vel inæqualitate stadiorum, aut Symptomatum magnitudine vehementiaque non parum inter se dissentientes. Aliæ donantur *Incremento* & *Statu*, ad plures Hebdomadas, atque adeo Menses supra modum extensas; ut *Dolore* pertinaci acutoque pene confectus, æger vitam agat luctu plenissimam, & plane commiserandam: Aliæ contra stadiis, & paucis, & brevibus, coarctantur, sine ulla *Initii* pompa, *Dolor* ægrum invadit, leviter tangit, & dimittit; sed et cito recurrit: Aliæ gaudent *Declinatione* tarda, neque nisi post complures aliquot dies comedunt, aut ambulant *Arthritici*. Qui rectissimus est *Arthritidis* Paroxysmus vere, seu autumno, sed vere crebrius ægrum invadit, & quidem (ut a non nemine observatum est) mane præsertim, ex eoque insultu, si recte calculum pono, dies circiter triginta perdurat. Omni fere anno revertitur, eadem plerumque tempestate: sin frequentior ejus sit Paroxysmus, est etiam mitior, tanquam ex natu-

ræ

ræ clementia diviſus. Quo magis *Arthriticus* ætate ingraveſcit, eo plerumque minus dolet. In ſeptuagenariis & octogenariis *Dolor* raro unquam urget: edentula fit *Arthritis.* In ſenioribus, præcipue phlegmaticis, *Tumor pedum* immanis, perpetuus, ſed nec inutilis, non niſi ſub ipſam mortem, & tum malo quidem omine, minutus. Nimius eſſem, ſi depingendæ *Arthritidis* omnis ſatagerem; raro enim ullus e Chronicorum numero morbus adeo multiplex, & πολύμορφος. Quinetiam ſi *Arthritidis* cum aliis morbis complicationes, & inter ſe viciſſitudines enarrare ſtuduerim immenſæ eſſet operæ labor: horum tamen unam alteramve ſuo loco ſubnectere non gravabor.

# Cap. IV.

## De *Arthritidis Subjecto.*

### I.

*Arthritidis in Sanguine Materia Diatheſin facit Arthriticam,*

DUM Miaſma *Arthriticum* in Sanguine moratur, cum eo circumagitur, & motus ejus participat, nullum habet *Subjectum*, cui vel affigi, vel adhærere judicetur, nec tam *Arthritida* faciat quam *Diatheſin Arthriticam.* Quamprimum autem exulet, & ad Artus amandata fuerit, duos ſibi locos eligit, in quibus ſedem ponat, *Articulos*, & eorum *Internodia.* In his præcipue *Membranas*, tam Muſculis proprias, eoſque

eoſque inveſtientes, quam communes, eoſque ſimul colligantes, & *Vaſa* per Muſculos Sanguinem vehentia laceſſit. Illas, ut acre & mordax Miaſma corrodit; hæc, ut γλιοχρὸν, infercit, diſtendit: utroque modo naturæ vim infert, Dolore ſomnum & quietem interpellit; nonnunquam & Tumorem elevat, ſed omnino pallidum.

MIASMA recipiunt, & a Sanguine ſeparant *Membranæ*, *Glandularum* ope; quæ, ut in Pleura, Peritonæo, Pulmone, Tunica vaginali Teſtium, Capſula Cordis Pericardio, aliiſque paſſim in corpore *Membranis*, ita etiam hiſce jam dictis, adeo ſunt affixæ, ut a Clariſs: *Havers*, qui eas ſedulo & feliciter indagavit, ex omni parte *Glanduloſæ* dicantur. Iis ille ſerum, in Hydrope univerſali a Sanguine ſecerni, non ſine ſumma probabilitate, cenſet; *Arthritidis* eas *vagæ* Subjectum eſſe, non improbabile mihi videtur. Æger ibi Miaſmate depoſito, motu fere privatus, vel lecto, vel ſedili ſe committit; &, tanquam in *Rheumatiſmo*, ſui curam habet. Si de *Arthritide* quis ſermonem interpoſuerit, nihil illi gravius, nihil abſurdius videtur. [*Scil. in Articulorum intervallis* Arthritida! *Quæ vero hæc Doctrina*!] Cum Humerum & Cubitum diu vexaverit *Arthritis*, ad *Femur*, ad *Suram* migrat, ibique eodem modo ſævit.

*In Membranis Glanduloſis, in Articulorum intervallis, Arthritida vagam.*

vit. Sæpe Venæſectione, & tenui Diæta mitigatur; ſæpe autem recurrit, ex Algore præcipue. Nonnullos adeo conſtanter afficit, ut raro eos ex toto vacuos, ſed δυσκινήτους, ſed claudos, & interdum Clinicos, intueri liceat; tunc *Rheumatiſmum*, quem *Scorbuticum* appellant, quodammodo refert. Sed de hac *Arthritidis* ſpecie alibi fuſius: unum hoc tempore volui, nempe *Subjectum* ejus & Caſtrametationes, quam maxime poſſem, accurate repræſentare.

## II.

*In Articulis Arthritida fixam, & in Tendinibus,*

TRANSEO ad *Articulos*, id eſt *Arthritidis Fixæ* in Artubus *Subjectum*. In quo tractandæ veniunt *Glandulæ* Membranarum & Tendinum minores, & Articulorum majores. *Membranæ* oſſium commiſſuris circumvolutæ, eorumque capita colligantes, *Glandulas* ſæpe habent, quibus a Sanguine ſeparatur, in valetudine proſpera, ad eas lubricandum humor; in adverſa, nonnunquam *Arthriticus*. Hæ plerumque ſunt exiguæ, ſed teſtimonio Microſcopii numero complures. Cum ab iis Vaſa Lymphatica trahunt originem, (quæ multa ſunt, & omni fere corporis regione conſpicienda,) has etiam multas eſſe, ceu Fontes Rivis ſuis reſpondentes, opinatu facile eſt. TEN-

TENDINIBUS etiam inſeruntur *Glandulæ*, ſimiliter parvæ, quæ eorum lubricationi ſolent inſervire; nonnunquam item *Arthritici* Miaſmatis excretioni: unde fit, quod Tofi in *Tendinibus*, tamquam Clavi trabibus impacti, non raro obſerventur.

VERUM præter eas, quæ minoris ſunt ordinis, aliæ ſunt *Glandulæ* inſigni magnitudine; quæ in *Articulis* ſitæ (uti modo dictæ prope eos) ad eorum Oſſa lubricanda, & motus expediendos, *Mucilaginem* emittunt; ideoque a primo Inventore, Celeb. Collega, *Cloptono Havers*, *Mucilaginoſæ* nominantur. In ſtatu corporis *Arthritico*, Materiam *Arthriticam* a Sanguine ſecernunt; & ad eam ſecernendam, præ ceteris quibuſcunque corporis univerſi *Glandulis*, a Natura ſunt electæ. De *Glandulis* his majoribus, pulcrum eſt notare, ſic eas a natura comparatas, ſic commiſſuris oſſium interpoſitas eſſe, ut ab iis leviter compreſſæ *Mucilaginem* ejiciant; minime vero, quod earum artificium eſt, comminuantur: unde ab illorum motu, utut valido, injuriam minime patiuntur. In Artuum Articulo pleroque omni reperiuntur, (quod infra particulatim edifferam:) ſicubi vero deſunt, minores illæ, numero permultæ, *Membranis*

*In Glandulis Articulorum Mucilaginoſis.*

*nis* & *Tendinibus* inſertæ, earum vices ſupplent. Haſce omnes *Glandulas* invadit *Arthritis*, & Fibras earum ſenſiles rodendo, ſpiritus animales in iis contentos ſtimulando, Juncturæqne quod vacuum eſt, infarciendo, primo Dolorem, dein Tumorem, aliaque paroxyſmi facit *Arthritici* indicia.

## III.

*In Hallu-ce.* SED ut Articulos ſingulatim perſequar, primo conſiderandi ſunt ii, qui *Hallucis* ſunt. Digitus ille pars a Corde remotiſſima eſt, cui, tamquam fulcimini, corpus univerſum, in erigendo ſeſe promovendoque, quam maxime innititur. Eo enim in terram defixo Greſſus certi fiunt, & æquales: alterni ejus ope, currendi, pugnandi, & motus pæne omnis violenti munus perficitur. Ut tantis ille muneribus par reddatur, *Globum* habet *Carneum*, amplum, qui Centrum eſt horum motuum, & duos oſſium Articulos, qui *Ligamento communi Membranaceo* involvuntur. In ſingulis hiſce *Articulis* ineſt *Glandularum* par: quarum omnis *Fimbriæ* in modum extenſa eſt ita, & Oſſibus interpoſita, ut, præcipue cum eorum motu comprimitur, *Mucilaginem*, re ſalutis incolumi, in uſum jam dictum

dictum emittat; ingruente vero *Arthritidis* Paroxyſmo, ejus *Miaſma* recipiat. Hæc *Podagræ* Scena principalis; hic agit Tragœdiam, hæc Ἑστία. In hanc *Membranam*, & *Glandulas* haſce *Mucilaginoſas* Miaſma depoſitum, Dolorem quantum maximum, malum, quo humano generi vix quicquam unquam ærumnoſius aut intolerabilius, affert. Podagræ *ſedes principalis*,

PORRO, ut Corpus neve hac, neve illac vacillet, ſed firmo pede ſtet, diverſis *Oſſibus*, vario modo connexis, & ad ea connectenda & Tendines firmandos, *Ligamentis* eſt donatum. Hos *Articulos*, ſive potius hæc *Ligamenta* præcipue vero *Glandulas* in iis minores ſæpe invadit Podagra, ad aliud ex alio ſerpens, & viciſſim mordens. *aliæ minoris ordinis.*

IN *planta Pedis* latum ac validum eſt *Ligamentum*, quod primæ Phalangis Oſſa colligat, ejuſque Seſamoidea comprehendit. Hoc graviter urgeri interdum novi. Eſt ubi Convexum Pedis occupat, & in illud iram exercet: ſic, ut etiam in Calcaneum, Talum, & Malleolum. Eſt etiam ubi *Podagra* Pedis univerſi cum *Articulamenta*, cum *Membranas*, ſimul excruciet, tumefaciat.

POST

POST multas acceſſiones, in veteribus *Podagricis*, Tendinum Contracturas, Tofos, & Ulcera, licet obſervare.

## IV.

Chiragræ *Subjectum.* MANUS eadem fere, quæ *Pedis*, & compoſitio & *Arthritis*. Ut in recipiendo, retinendo, divertendo, propellendo, aliiſque vitæ actionibus innumeris, munus obeat, Digitos, *Articulos*, & *Ligamenta* habet, divino certe artificio fabricata & conjuncta; *Pollicem*, nempe duobus, quatuor *Digitos* duodecem *Articulis*, ſeſe huc illuc motantes. Ut recte moveant, Digitorum Oſſa *Ligamentis* vinciuntur, & locis ſuis continentur. Idem de *Metacarpio* dicendum. In *Carpo Ligamentum* annulare, cum aliis nonnullis *Tendines* & *Oſſa* comprimit. Cuilibet Articulo binæ inſunt *Fimbriæ Glanduloſæ*. Ubi *Carpi* Oſſa cum *Radio* committuntur, *Glandularum* ſeries per Carnem externam ſe exporrigit: aliæ ejus ſolius Oſſibus apponuntur. Hæ Manuum *Glandulæ*, & minoris ordinis aliarum ergo *Tendines*, (forſan etiam *Ligamenta*) cum *Articulis* ſolent infeſtari *Chiragra*, communius quam Pedum Digiti, quorum minores non ita crebro tentantur. Eſt illorum Dolor, Inflammatio, Tofus, Diſtortio, &

& interdum Ulcus; atque adeo Membri, tam ad beate vivendum neceſſarii, uſus prope abolitus.

## V.

AD *Cubitum* aſcendamus, ubi *Os Humeri* cum *Ulna* & *Radio*, per Διάρθρωσιν, (id eſt, ad motum magnum, articulatione laxa, & de facili eum admittente) *Ligamento communi membranaceo*, connectitur. Hujus Articuli beneficio, & Pacis & Belli res geruntur. Cubito enim, Pace Verborum incutit Orator; Bello, vim Ictuum Miles. Quæ infeſtat hunc Articulum *Arthritis*, nec creberrima, neque maxima eſt. Duæ ſunt hujus Articuli *Glandulæ Mucilaginoſæ*, quarum majorem, ex *Oſteologia nova* Clariſſ. *Havers*, in æs incidi Tab. 1, Fig. 1, curavi. *Humeri* Os proceſſum infimum majorem, Cartilagine obductum habet. Membranam, *Glandulis minoribus* proculdubio donatam, eum ambientem, *Arthritis* ſæpe invadit; Tumorem eo loci facit; alias roſeum, alias pallidum; nullo quantum obſervavi, vel ſaltem mediocri Dolore comitatum: Ille Tofos denique concretos; hic qui aliquanto major, Gelatinam continet, & Tumor oviformis eſt.

Cubiti *Arthritis*, & *Tumor oviformis.*

VI. OS-

## VI.

Humeri *Arthritis.* OSSIS *Humeri* Caput ſuperius, quæ *Apophyſis* magna & rotunda eſt, Cartilaginem habet, qua cum *Scapula*, per *Arthrodiam*, jungitur: Nobiliſſimi hujus Articuli, & in laboribus ſuſtinendis utiliſſimi, ut ſedibus ſuis retineantur Oſſa, *Ligamento lato Membranaceo*, ceu Faſcia, colligantur. Hanc *Membranam* aliquando *Arthritis* occupat, & dies aliquot tenet; ſed raro primis ſuis acceſſionibus; raro etiam eo ſe loci totam exerit. E contrario, brevi tempore, vel *ad Manus, ſive Pedis Digitos, ſeſe corripit, & Paroxyſmum perficit.* Unde fit, quod ut rara hæc *Arthritidis* ſpecies, ita etiam mitis eſſe ſolet, neque Tumore, neque Rubore, neque Dolore multo ſignata. *Ligamentum* illud *Membranaceum*, propter *Glandulas* in eo parvas, aggredi videtur: ſed & aliæ ſunt majoris ordinis binæ *Glandulæ Mucilaginoſæ*, in ipſo Articulo ſitæ; quæ in iis, qui ſumme ſunt *Arthritici*, Miaſma ſeparant a Sanguine, & in Articuli cavum evomunt.

## VII.

Genu *Arthritis.* INFERIOR pars *Femoris* cum Tibia,

bia, per γιγλυμὸν, commiſſa eſt: Anterius huic Articulo, ad eum ſtabiliendum, impoſita eſt *Patella*. Oſſa variis *Ligamentis* connectuntur; primnm *Membranaceo* ac communi, quod univerſum Articulum, excepta *Patella*, ambit: Tum aliis, hic illic oriundis, itaque tranſverſis, ut in locis ſuis Oſſa ſerventur, & ſecundum Articuli Fabricam apte moveantur. Genu ſic conſtituto, tam Dei quam Hominum Favorem & Benevolentiam eo precamur. Hiſce *Membranis* interdum *Arthritis* inſidit; Tumorem ea regione facit, eumque non raro magnum; ſed plerumque pallidum, Dolore non acutiſſimo ſtipatum. Raro *Patellam* afficit *Arthritis*, propter *Membranaceum* illud *Ligamentum*, Patellæ ſubjectum, minimeque circumvolutum; ſed et Patellam interdum afficit. *Glandulas* hujus Articuli magnas, ſive *Mucilaginoſas*, exhibet Tab. 1, Fig. 2, e Clariſſ. *Havers*. Ubi AAAA Genu pars anterior eſt, Patella remota. aaaa *Glandulæ* magnæ, & *Mucilaginoſæ*. bbbb Membrana, quæ eas cum Articulo, tegit. C. *Patella*.

## VIII.

IN *Coxæ* Articulo, *Oſſis Femoris* extremitas ſuperior, *Epiphyſin* amplam & rotnndam, Coxæ *Arthritis*.

tundam, Cartilagine munitam habet; quod globoſum ejus Caput, in Oſſis *Iſchii* Κοτύλῳ immittitur, ibique duobus *Ligamentis* detinetur. Horum alterum, quod exterius, *Membranaceum*, latum, durum, craſſum, & validum, Articulum circumdat omnem: alterum, quod interius, teres, ab ipſo *Acetabuli* fundo productum, in *Oſſis Femoris* ſuſceptum Caput inſeritur, idque *Acetabulo* firmiſſime adalligat, itaque perficit Articulationem per Ενάρθρωσιν. Intimo *Acetabulo* ſinus eſt, a natura in Oſſe *Iſchio* excavata, & quidem artificioſiſſime: nam cum ideo fit, ut *Glandulam Mucilaginoſam*, uſu & magnitudine inſignem, in ſe recipiat; ita quidem fit, ut iſto ſinu ſervata, ab *Oſſe Femoris* rotante, motuſque ſuos obeunte, minime lædatur. Eſt hæc *Glandula*, e ſuæ tribus præcipuis, una: In ſtatu naturali, Mucilaginem, ad lubricandum hunc Articulum, in motu corporis omni neceſſariam excernit: In ſtatu *Arthritico*, morbi materiam in ſe recipit inque Articuli cavum infundit: unde Ægrotanti malorum *Ilias*; Dolor, Ligamentorum relaxatio, Femoris motus impeditus; non ſolum Articuli, ſed facto in Femur Humorum Cataclyſmo, illius etiam Tumor: cui deinceps ſuccreſcit Febris Hectica, & Φθίσις, ab *Hippocrate* dicta Ιχιαδική. Nonnunquam

quam Inguini committitur, & moram in eo trahens, urinæ facit difficultatem, & denique Sphacelum.

## IX.

ITA Artuum percurrimus Articulos, partim ut veteribus morem geramus, & diſciplinam eorum *Arthriticam* imitemur; partim quia veri ſpeciem non mediocrem præ ſe fert. Sed hanc rem intimius & diligentius inſpicienti patet, non tam *Arthritida* τῶν Ἀρθρῶν, quam τῶν Ἀδένων, adfectum eſſe. Ubicunque enim loci ἐν τοῖς ἔξω manſionem habet, *Glandula* eſt; nunc in *Membrana Muſculorum propria*, nunc *communi*, modo in *Tendine*, modo in *Ligamento* Capita Oſſium in Articulo coercente, modo in ipſo *Articulo*; ſemper, inquam, *Glandula* eſt: neque partes aliæ, niſi propter *Glandulas*, id eſt caſu & fortuitu gravantur. In *Arthritide vaga* Dolor & Tumor (ne dicam reliqua ejus Accidentia) fiunt a Materia quæ primum *Glandulas* infeſtat; deinde *Membranas*, in quibus illæ figuntur, & partes iis vicinas: Nihil hic Articulamenti eſt. In *Arthritide Fixa* eadem aliaque notantur Accidentia, ſed quæ a *Miaſmate Arthritico*, ſive *Glandulas* in *Ligamentis Membranaceis* parvas, ſive magnas

*Arthritis Glandularum morbus.*

in *Articulo*, unas occupante, producuntur. Quod *Gelatina*, quod *Tofus* Articulum quemvis impleat diſtendatque, *Glandulæ* Miaſma recipienti, & in Articuli cavernam illud effundenti, totum id debetur omnino. Confirmat hoc in *Tendine Tofus*, qui a *Glandula* ſola, (abſque Articulo) materiam excernente vitioſam, oriri ſe fatetur. Concludimus ergo, *Arthritida*, non minus quam *Scrofulam*, ſi apte, ſi recte verba fecerimus, *Glandularum* in Artubus eſſe morbum.

Hæc de *Arthritidis Subjecto* hactenus.

CAP.

# CAP. V.



## *De Cauſis Arthritidos.*

---

### I.

CAUSA *Arthritidis* Conjuncta, quæ maxime noſtros homines excruciat, videtur eſſe (nam de re adeo obſcura non licet δογματίζειν) acris quædam materia, quæ a Sanguine in Articulis depoſita, ibi membranas eos inveſtientes ſtimulat, & arrodit; itaque Dolorem, ut & alia, Paroxyſmi quæ ſunt *Arthritici*, Symptomata committit.

*Cauſa* Arthritidis *Conjuncta Acre aliquod,*

mittit. *Acrem* eſſe oſtendit Doloris vehementia, quæ, cum acerbiſſima ſit, cauſam habeat effectricem ſibi reſpondentem omnino neceſſe eſt: At in *Arthriticorum* Sanguine nihil æque rodit, ac quod Acre: idque in eo copioſum eſſe vel ex eo liquet, quod in ſero latens & dilutum linguam maximopere feriat.

## II.

*Exigua ſæpe quantitate.*

SAL hoc *Acre* locum (ut opinor) habet, in *Arthritide* ea præcipue, quæ a Vinis tenuibus, a Pomaceo, & ejuſmodi Liquoribus generatur: Utque ejus Acrimoniam oſtendit Dolor, ita quidem maxime, quod tantilla ejus quantitate graviſſimus ille, pæneque impatibilis, excitetur. Guttas certe perpaucas, unam forſan vel alteram, ad Paroxyſmum inducendum ſufficere, non eſt improbabile. Unde enim alias fit, quod initio Paroxyſmi Clamores & Ejulatus audiamus, at Tumoris aut Inflammationis omnino nihil aſpiciamus. Huic autem uni alterive Guttæ, deinceps Humores alii ſuffunduntur; qui Tumorem faciunt, eumque interdum immane quantum.

NEQUE obeſt, quod a Vinorum tenuium, & Pomacei, id eſt, Liquorum *Aci-*

*Acidorum*, non autem *Acrium* uſu, fiat hæc *Arthritis*; quando conſtet experimento *Acida* ore ſumpta, & per ventriculum in Sanguinem admiſſa, ſpeciem ibi *Alcalinam* induere, & *Acria* reddi: & ut deducam argumentum ad *Dunmonios* noſtros, Pomacei non parum *Acidi* apud eos id abunde monſtrat; quando eorum, qui in illud ſe ingurgitant, Urina, Sale *Alcalico* ſic, ut vix ulla unquam magis, abundet. *Eaque ab* Acidis *oriunda:*

## III.

ALIA eſt cauſa continens *Arthritidis*, ſcil. *Cruda* quædam materia, *craſſa*, *tenax*, & *glutinoſa*; quæ, cum in partibus a Corde remotiſſimis, per Venas & Arterias capillares, non niſi difficulter impellatur, in iis ſæpe hæreat, earum tunicas diſtendat, itaque Dolorem afferat, non tam magnum & acutum, ac qui ab Acri fit; ſed ſi cum eo comparetur, obtuſum & tolerabilem. Tumorem etiam facit, ſed tarde, neque niſi poſt aliquam-multos ab inſultu dies; eumque pallidum, frigidum, Oedemati magis quam Inflammationi ſimilem. Tumor hic Articulis complures ſæpe Hebdomadas, ſæpe etiam menſes inſidet; quo vero diuturnius, eo plerumque minori cum Dolore. *Tumor* & *Dolor* in hac *Arthritide*, *Aliquando* Γλιχρὸν:

ſic ut prædicta, ſunt in ratione inter ſe inverſa, ſed minori quam in ea: ut Tumor augetur, Dolor minuitur, ſed lentius quam ab *Acri* cauſa. Diu nunc Articulis hæret, nunc per eorum intervalla multum vagatur: Nam alios a Crudo *Arthriticos*, permulta annorum ſpatia, tumefactis Articulis & diſtortis Digitis; alios *Arthritide vaga* perpetuo fere laborantes obſervare licet. Ex hujuſmodi cauſa, (*Cruditate* ſcil.) dolent ii præcipue, qui Cereviſiæ Crudæ, neque ſatis coctæ defæcatæque potationi, quique Gulæ, & ſimul Inertiæ ſe dederunt, *Arthritidi* quaſi victimas futuras: quibus Alimenti nimio plus ingeritur, at nec in Sanguinem mutatur, neque foras exulat, unde *Arthritidi* fit materia.

## IV.

*Sæpe ex duobus hiſce conjunctis, diverſa ratione.*

EX duobus hiſce *Acri* & *Crudo* compoſitis, ſæpe tertia fit *Arthritidis* Cauſa conjuncta, quæ (ut mihi videtur) omnium frequentiſſima eſt, & pro diverſa partium ratione inter ſe diverſa. Hæc eſt illa (partim *Acris*, & *Cruda* partim) materia, quæ a Venæſectione Sanguinem *Arthriticorum* innatat; alias craſſior, & coloris fere crocei; alias tenuior, & ad cæruleum tendens;

dens; adeo vero conſtans, ut raro unquam aliam in veteribus *Arthriticis* eſſe, probet detracti Sanguinis in Cyatho facies.

## V.

*Unde Curatio* Arthritidis *diverſa.*

A Cauſæ hujus diverſitate, nunc ab *Acri*, nunc a *Crudo*, nunc ab his, & quidem multifariam compoſitis, orta, evenire judico, (quod & hanc diverſitatem magnopere probat,) decantatum illud ænigma, Qui fieri poſſit, quod *Arthritis* medendi methodos, & remedia tam varia requirat? nimirum a diverſa morbi illius cauſæ continentis indole, & natura: neque hoc veteribus ignotum; [*Podagræ affectum*, (ita, *Guinterio* vertente, † *Alexander*) *ex multis diverſiſque cauſis originem trahere, inprimis ſciri oportet: unde meo judicio propter generationis varietatem, neque internoſci probe, neque abſolutam curationem conſequi poterit.*]

† Τὸ τῆς ποδάγρας πάθος εἰδέναι χρὴ πρὸ γε πάντων, ὡς ἐκ πολλῶν καὶ διαφόρων αἰτιῶν ἔχει τὴν σύστασιν. ὅθεν, οἶμαι, διὰ τὸ ποικίλον τῆς γενέσεως ὅτε διαγνωσθῆναι καλῶς, ὅτε θεραπείας πλείας ἠδυνήθη ἐπιτυχεῖν. Lib. II, c. 1.

VI. CAU-

## VI.

*Cauſa προηγουμένη,*

CAUSA *Arthritidis* conjuncta ſive continente poſita, proximum eſt, in ejus ortum & natales inquirere; unde προηγουμένης, ſive Antecedentis Cauſæ ratio explicabitur. Miaſma *Arthriticum* vel congenitum, vel innatum, & adventitium eſt; quod vel Lacteis, vel Utero, vel Pulmone Sanguinem ingreditur. Congenitum aut Semine maſculino a Patre, aut Nutrimento a Matre, in Fœtum derivatur. De priori modo notandum, ut clarius innoteſcat, inter Atomos, ſive *minima naturalia*, & *minima viſibilia*, immenſam eſſe Corporum multitudinem, innumeras Atomorum complexiones ſive copulationes, quæ viſum fugiant, at in naturæ rebus agendis ſint efficaciſſimæ. Hujuſce ordinis ſunt Magnetiſmi, Ventorum, Tonitruum, Gravitatis, aliorumque φαινομένων Cauſæ inſigniter effectrices. Cernuntur effecta; ſed ultra oculorum aciem, in obſcuro poſitæ, eorum cauſæ latent. Hujus omnino generis ſunt Variolarum, Febrium peſtilentium, Luis Venereæ, aliorumque morborum contagioſorum Miaſmata: hujuſce item, quæ Semine maſculino traducuntur, & morbos pariunt hæreditarios, ut *Arthritidem*,

*Miaſma nunc congenitum.*

*Inter minima naturalia & viſibilia, immenſam eſſe Corporum multitudinem.*

*thritidem*, alioſque. Sicui vero admirationem moverit quod tam minutæ compages Atomorum, ad morbos adeo graves inferendos, ſint tam valentes; perpendat omnino velim Animalculum in Semine maſculino contentum, membris diſtinctum, Muſculis, Viſceribus, Nervis, Arteriis, Venis, ſenſuum organis, aliiſque ad perfectum Animal neceſſariis, donatum. Quod ſi hujuſmodi Animal, idque multiplex, & gregatim in Semine natans, (ut a Clariſſ. *Leewenhookio* factum eſt) obſervetur; quid eſt, cur morborum, cur *Arthritica* μιάσματα in eo vehi dubitemus affirmare?

*Ut ab Animalculo in Semine probatur.*

## VII.

DE illo, una cum alimento a materno corpore, per Arteriam umbilicalem, in Fœtum impulſo, itaque ejus Sanguini commiſto, clarior res eſt, quam ut ei exponendæ tempus impendam: ſicque revera interdum accidere, ex eo patet, quod a Matre *Arthritica*, ſed Patre ſano gnati, Articulorum morbos ab ea jure merito cenſeantur accipere.

*Miaſma nunc a Matre una cum alimento acceptum:*

## VIII.

MIASMA Sanguini innatum, ab ejus

*Sanguini nunc innatum.*

jus Dyſcraſia ſumit initium. Exploratiſſimum eſt, Liquores præcipue compoſitos, ſæpe magnas ſubire mutationes; alios evehi, & puriores reddi, alios autem pendulos, γλίσχρους, aut aceſcentes: cujus utique rei, in Cereviſia, Pomaceo, Vino, ceteriſque Liquoribus, exempla ſunt quotidiana. Quod dudum fragrans, & odoratum, ipſiuſque *Liberi* Flos, id jam fugiens, in vappam degenerat. Quod dudum molle & delicatum, id jam acidum linguam icit. In Sanguine, Liquorum omnium Compoſito, quin idem fieret, nulla poteſt eſſe dubitatio. Nunc particulæ, ex Atomis conglomeratis in eo factæ, denuo ſolvuntur. Salia, Terris exuta, fiunt aculeata. Nova ſunt inde Atomorum Fœdera, novæ compages fiunt; eæque naturæ rebus adeo adverſæ & inimicæ, ut morbos, e. g. Hydropa, Scorbutum, Scrofulam, *Arthritida*, ne dicam alios, ſæpiſſime committant, eorumque non immerito *Semina* dicantur.

*Ab ejus Dyſcraſia ſumens initium,*

## IX.

*Et erratis in ſex non-naturalibus:*

HÆ Sanguinis Dyſcraſiæ, viam *Arthritidi* facientes, ab erratis in Sex non naturalibus oriri ſolent: a nullo vero alio magis, quam a nimia *Quiete*. Ut enim corporis

poris exercitatio, Sanguinem agitando, ſicque retrimenta & particulas ejus effœtas expellendo, reliquaſque puriores & integriores inter ſe miſcendo, robur & vim ejus αἱματοποιητικὴν, adeoque rem ſalutis optime tuetur: ita e contrario vita motus expers, & deſidioſa, ſæpe in cauſa eſt, quod Corporis augeatur moles; ſed minuatur ſalus: quod Sanguis iners, & torpens Spurcitiem, & τὴν γλιοχρότητα acquirat, materiam *Arthritidi* faceſſentem. Hoc autem in hominibus corpulentis, & vitam agentibus urbanam, qui aëre & exercitatione carent, aut iis qui rure habitantes, omiſſa Venatione, Diſploſione Globorum, Sagittarum miſſione, alioque omni corporis labore, jamdudum otio ſe dant, locum habet uſitatiſſime: aut in iis qui Menſium, qui Hæmorrhoidum Fluxum, aliumve quemvis habent ſuppreſſum, præſertim Ulcus.

*Præſertim a nimia* Quiete.

SED Lacteorum ora ſunt porta illa regia, per quam Miaſma, ſive Semen *Arthriticum*, confeſtim & creberrime Sanguinem ingreditur. De illis quatenus apertis, & corpora in ſe craſſa admittentibus, multum expedivit Clariſſ. *Liſteri* curioſa felicitas. Injecit ille in Canis famelici Inteſtinum Jejunum Succi inſpiſſati, *Indigo* dicti, Solutionem; unde Venæ *Lacteæ* extemplo

*Miaſma per Lacteorum ora corpus ingreditur.*

templo *Cæruleæ* reddebantur; & palam fiebat, horunce vaſorum ora uſque eo patere, ut per ea Succi hujus particulæ, nequaquam minimæ, atque adeo bene magnæ, viam invenirent. Nobiliſſimi &, ſiquod unquam, luciferi hujus experimenti fidem infirmare conatus eſt non nemo, propoſito non reſpondere illud obtendens: quod, pace tanti viri, arte noſtra præcellentis, & non uno genere litterarum ornati, *non nimis ingenue factum eſt*: neque enim cuiquam licet contra veritatem hiſcere, & verba factis opponere. Hiſce manibus idem ipſe plus ſemel factum eveniſſe vidi; nimirum Venas *Lacteas*, ab immiſſo in *Jejunum* iſtiuſmodi Soluto, *Cæruleas*; ipſumque Liquorem, ſecta vena, in Meſenterii membranam, manifeſto evomentes.

*Eorum magnitudo vendicatur.*

## XI.

DATO poſitoque hoc experimento, quod certo certius eſt [*de lato in Lacteas introitu*] de corporum craſſiorum, de *Arthritidis*, aliorumque materiæ morborum per eas in Sanguinem meatu, res evidentiſſima eſt; verum & ex eo diſcimus, qui fieri poſſit, quod toties ex victu inepto & Dyſpepſia, *Arthritis* (ut alios taceam affectus)

affectus) originem capeſſat. Materia, quæ per hanc portam, *Arthritica* corpus ingreditur, aut *Baccho* aut *Cerere* generatur, aut Ventriculi debilitate, & ad cibos concoquendum impotentia fit.

POTIO nocet, alias, ſi mali generis ſit; alias, ſi immodice; alias, ſi intempeſtive ſumta. Mali generis ſunt Aquæ Stillatitiæ, Spiritus ardentes, Vina (ſicut dixi) tenuia, Pomaceum, Cereviſia cruda, quæ *Arthritidi* (quod vulgo notum eſt) ſæpiſſime viam ſternunt, & præcipue ſupra modum adhibita præbent materiam. In omni pæne angulo terræ, hujuſmodi videre licet Combibones, claudos, articulis tumefactis & diſtortis δυσκινήτους, miſerum in modum *Arthritide* cruciatos. Novi Oppidulum *Arthritide* impendio vexatum, idque magna ex parte (quod de hac re ſedulo inquirenti mihi, iterum & ſæpius a fide dignis renunciatum eſt,) ex Cereviſiæ crudæ & ſemicoctæ potu. Omnium autem maxime nocet iſtiuſmodi potatio liquidorum matutina; quæ Ventriculo inimica, vel Tunicam ejus interiorem, una cum Glandulis ejus, adurendo, (quod de Spiritibus, & Aquis ardentibus,) aut Ventriculi Fermentum obtundendo, (quod de Cereviſia dicta intellegendum,) primo Pepſin, & deinde Famem tollit: unde

*Hac porta intrant mali generis potulenta.*

*Ut & intempeſtive ſumta; &*

unde ſequitur malorum Ilias, & identidem *Arthritis*.

## XII.

SED & aliud eſt, quod in *Arthritide* pauperum explicanda præcipue, hiſce omnibus antepono, Aquæ ſcil. impuræ & inſalubris uſus. [*Reperiuntur*, inquit Sennertus, *Aquæ interdum, quæ ad* Arthritidem *faciunt, & in iis locis ubi* Arthritis *Endemia quaſi eſt, non ſolum divites qui vinum bibunt, ſed & pauperes Aquæ potores* Arthritide *corripiuntur*.] Hoc apud *Dunmonios* nimio plus valere ſuſpicor; quibus Aqua puteana non optima, atque adeo dura, & minus ſalubris, ut ab ejus vitio ſæpe Guttur intumeſcat, doleant Inteſtina, Membra, eorumque (ſic opinari licet) interdum Articuli.

*Aquæ vitioſæ,*

## XIII.

UT autem Cauſam antecedentem illam, ob quam *Arthritis* apud *Dunmonios*, nuperis hiſce annis adeo percrebuit, & tanquam Endemia fuit, pro modo virium inveſtigem; ſæpe hæc cum animo cogitanti nulla alia videtur, quam Calcis apud nos in agricolatione uſus. Vide, quanta hujus

*Et Calx,* Dunmoniis *multum in uſu;*

hujus ſit cum Toſis *Arthriticis* ſimilitudo: ſive utriuſque faciem, ſive pondus ſpectemus, Ovum ovo vix ſimilius. Sin hæc Ætiologia nimium ſubtilis, & a naturæ rebus aliena cenſeatur, mea quidem ſententia judico, cum natura illam maxime convenire. Calx enim ab Agricolis, una cum Gleba, raſtro & tudicnla intime commiſcetur. Inde pars in ſegetem & granum aſcendit; pluvia pars abluitur: itaque tam eſculentis, quam potulentis ſe adjungens, ſimul cum victu quotidiano, ore demittitur.

QUID quod hujus in Agricultura uſui, & *Arthritidi*, apud *Dunmonium*, idem fuit incrementum. Centenos ante annos, nulla aut rara, in colendis agris, a noſtris hominibus adhibita fuit Calx: Rara etiam *Arthritis*. Quo tempore primum ei conſuevimus, illo præter propter ingruit hæc, & pari proportione invaluit. Cumque eadem ſit utriuſque ratio, neque ex communi cauſa ulla poſſunt deduci alterum ab eorum altero, *Arthritidem* a *Calce* aliqua ex parte fieri, probabile eſt.

## XIV.

NOCENT hujuſmodi Liquida plerumque ſuo Marte; in Cibis alia res eſt: illis *Reliquiæ Δυσπεπ.*

illis enim opus eſt Concoctione, id eſt, diuturniore in Ventriculo mora, Fermenti in ipſos actione, inque mucum & putredinem ſui converſione: quibus efficiendis ſi par non ſit Ventriculus, hinc *Dyſpepſia*. Cujus in cauſa eſſe ſolent aut Cibi craſſiores, & inepti, aut ὑπέρμετρον & ad Gulam uſque ingeſti, aut ſi tempore capiantur parum idoneo. Craſſiores obſunt Carnes e.g. Bubulæ, Porcinæ, aliæque permultæ, quæ tametſi generis valentiſſimi (ut *Celſi* verbo utar) ſive in quo plurimum alimenti; obſunt tamen iis, quibus Stomachus imbecillis, & Cibis adeo difficilibus conficiendis impar. Adhæc optimi & εὔχυμοι Cibi, nimio plus devorati, Ventriculum aggravant potius quam naturam reficiunt, & *Arthritidi* ſuppeditant materiem amplam, & locupletem. Huc conferunt etiam Cibatus intempeſtivi; quales ſunt apud noſtrates Cœnæ dubiæ, vel ex Carne Cibiſve aliis δυσπέπτοις, ſera nocte appoſitæ: quæ quidem magnopere faciunt ad noſtrorum hominum *Arthritides*.

*Maxima pars* Arthritici *Miaſmatis, per Lacteas ingreditur;*

EX hiſce fontibus plurimi ducuntur rivi Miaſmatis *Arthritici*; quod pleno demum alveo per vaſa Lactea Sanguini commiſcetur, in paroxyſmum ſuo tempore erupturum: adeo certe copioſum, ut ſi orbem

orbem *Arthriticum* uſquequaque perluſtremus, ejus minimum pars dimidia (ſic calculum pono) hac antecedente cauſa dolet: Illa πεθηγυμδύων omnium omnino principalis eſt, a qua ſæpiſſime profluit *Arthritis*.

## XV.

*Aliqua utero.*

UTERO corpus intrare Miaſma *Arthriticum*, ex eo liquet, quod Fœminæ puræ, integræque, ſolo complexu *Arthriticorum*, (id quod ſæpiſſime notavi) fiant *Arthriticæ*. Semine nimirum maſculino contentum, una cum eo infunditur, & Sanguine fœminino receptum in eo more ſuo debacchatur. Complures hujuſce tribus apud nos *Arthritides* ſunt; unde Miaſmatis *Arthritici* vehiculum, Semen maſculinum eſſe non infrequens, exiſtimandum eſt.

## XVI.

*Aliqua Pulmone.*

POSTREMO loco, *Pulmone* inter reſpirandum illud in Sanguinem penetrare, non eſt improbabile; cum mero concubitu ejuſdem Sexus hominum, contrahatur *Arthritis*, & ab ὁμεύνων aliis inficiantur alii. Cujus utique rei tot præſto ſunt

exempla, ut Halitu Miaſma invehi, & (quando nulla via probabilior in mentem mihi veniat) per *Pulmonem* in Sanguinem ſe inſinuare, jamdudum in ſuſpectis habeam.

## XVII.

*Πρόφασις alia Cauſam continentem in Sanguine movet,*

TERTIO loco ſupereſt, ut de Cauſa Procatarctica, ſive προφάσι, verba faciam; quæ Continentem movendo, Paroxyſmum infert *Arthriticum.* Eſt ea diverſa, & diverſo modo agit: Alia nempe, Miaſma in Sanguine collectum, & jam ad turbas in eo nunc exciendas aptum exſtimulando, & ad τὸ παροξυνειν adigendo, infert: cujuſmodi ſunt Aquarum Stillatitiarum, Spiritus ardentis Vini præcipue tenuis ſubacidique, Pomacei, Cereviſiæ veteris Potatio. Cibi lauti, vel natura, ut Carnis Ferinæ, Porcinæ, Lampetræ, Concharum, Cyprinorum, Sturionis, comeſtura. His adde *Spirituum Volatilium, Theriacæ Androm. Pul. e Chel. C. C.* maxime vero *Chalybeatorum* uſum immodicum & imperitum. Novi *Arthriticum*, qui ex Cereviſiæ vetuſtæ Cyatho uno, a meridie poto, mane poſtero doluit Articulis; idque, facto ſæpius experimento, uſu confirmatum eſt. In aliis idem a Vino turbido, neque de-

defæcato, ut & a novitio, cui nihil ætatis acceſſit, obſervatum. Quanta Carnis ſit Porcinæ vis in evehendo Sanguine, eoque polluendo, *Lepra Judæorum* abunde probat: ab eodem ſuavi cibo, & nutrimenti pleno, dolorem in *Podagrico* propter excitatum ab eo Miaſma, notavi. Ferinæ eadem eſt ratio; qua vix quicquam obſoniorum ſanguinem magis elevat, & calcar ad hoſtem expellendum magis adhibet. De Cyprinorum eſu pinguiorum, affirmat ex *Alexandrino* * *Schenckius*, [Podagroſum *quendam, ita huic cibo audientem habuiſſe* Podagram; *ut in manu illi eſſet hoc pacto quandocunque vellet eam accerſere.*] Lampetra noſtra qua nihil guſtum magis acutum habet, nihil linguam acrius ferit, quaſi ad vocandam *Arthritida* natum eſt animal. Quinimo Cibi ſatis εὔχυμοι, nimio plus ingeſti, & devorati, veterem movendo in Sanguine materiam *Arthriticam*, Paroxyſmum ſæpe introducunt. Poſt hujuſmodi Gulam Epulones *Arthritide* tentari creberrimum eſt.

---

* Obſervat. medicin. Lib. V. pag. 751.

## XVIII.

*Alia Cruorem ipſum exagitat;*

ALIA περικαθαρτικὴ cruorem vehementer agitando turbandoque, ſæpe facit, ut *Arthritis* ingruat. Vinaceis in uſu eſt, cum Vina lutulenta ſunt, ut tenuentur, ea conto immiſſo huc illuc concitare, & perturbare; unde brevi patiuntur ea, quicquid impuri craſſive in ſe contineant ad imum ſubſidere. Simili fere modo Sanguis, ſive nimio Calore, ut in Thermis Balneatione, ſive Corporis univerſi exercitatione, ut ambulando, ſaltando, equitando &c. ſive ejus concuſſu, ut in vomitione, purgatione, puerperio agitatus, in Articulis ſæpe Miaſma deponit *Arthriticum*.

*Eum alia minuit.*

ALIA ſpatium, in quo natura libere agat, augendo, theatrum ampliando, λῆψιν arceſſit. Muſta in doliolo pleno minime ſpumant, aut ζύμωσιν, ita, ut oportet, ineunt. Detracto ejus aliquantillo, ζύμωσις, unde fæcum ſeparatio, brevi incipit. Similiter, a Miſſione Sanguinis, exordiri paroxyſmum, in propatulo eſt, & uſu mihi confirmatum; ſed hoc in corporibus plethoricis & ſanguine abundantibus ſolum accidit.

*Ad Paroxyſmum*

INSUPER, ad eum mirifice confert externi

externi Aeris Conſtitutio: Humida Sanguinem fundit, & *Arthritida*, ſic, ut morbos Catarrhoſos pleroſque omnes apportet. Hinc Autumno, & Aprili, graſſantur ii præcipue; & vel per Artus vagata, vel Articulis affixa iis menſibus *Arthritis*, impetus facit & multos, & immanes: Aliaſque ſtatu cœli pluvio, Sanguis ea, præſertim in ætate provectis, inquinatus, orgaſmos & turbas ſubit inuſitatas; unde vagi Dolores aliaque Symptomata, quæ ad extrudendum Miaſma *Arthriticum*, & paroxyſmum moliendum, naturæ conatus arguunt. Porro *Frigus* ſæpe paroxyſmum affert, & vel foramina Cutis occludendo perſpirationemque minuendo, aliove aliquo modo (neque enim adeo de rei modo, atque de re ipſa conſtat) Miaſma Articulis committi facit tam frequenter, ut e Procatarcticis omnibus una ſit creberrimis. In aere frigido aſperoque, quam in humido mollique magis gliſcit *Arthritis*: quod ex hominibus ſanis integriſque, aere molli natis eique diu aſſuetis, tandem ad *Dunmonium* ſe conferentibus, & ſine ulla victus alteratione vel in vita mutatione Ποδαγελῶσι (quod utique plus ſemel obſervavi) manifeſtum eſt.

*conferunt externi Aeris conſtitutio,*

*Humida,*

*Frigida,*

QUINETIAM *Venti* in iſtiuſmodi Cauſis a nonnullis cenſentur, præcipue

*Venti:*

*Caurus* apud *Batavos*; qui a Cl. *Sylvio* Sanguini vim inferre, & Miaſmatis *Arthritici* expulſionem promovere traditur.

## XIX.

*Artuum Imbecillitas,*

LOCI jam denique, Miaſma e Sanguine expulſum ἐν τοῖς ἔξω recipientis, habenda eſt ratio. Is in *Arthritide vaga* Artus ſunt; in ea vero quæ *Fixa* eſt, eorum Articuli. De utriuſque ſede, cogitandum eſt, eam, ob Imbecillitatem & ἀπονίαν, onere iſthoc *Arthritico* ſibi impoſito, premi. Eſt autem ea Imbecillitas, ſive naturalis, ſive caſu facta. Nemini non notum eſt, in corpore utut dædalo & perfecto omni, partem aliam alia valentiorem eſſe, & ad infirmiorem a natura mandari onera, humorumque fieri in eam ῥοπὴν. In iis, qui deſidiæ, otio, & inertiæ mancipia ſe dederunt, neutiquam mirandum Artus enervari & imbecilliores reddi; itaque materiam, quæ laborioſo vitæ genere alias exularet, *Arthriticam* in ſe ſuſcipere. Hoc quotidiano docemur uſu; hic rerum ordo. Quæ vero pars natura imbecillis, ſæpe caſu reddita eſt imbecillior: idque cauſa interdum extra, aliquando intus agente. Hujus Claſſis ſunt Animi πάθήματα, Mæſtitia, Terror, Ira vehemens;

*Sive naturalis, ſive caſu facta.*

vehemens; Curæ & Anxietates, Vigiliæ intempeſtivæ; Venus immodica &c. Quæ utique omnes Spiritus animales hauriendo, deprimendoque, & tonicum, in iis quæ extra ſunt, vigorem minuendo relaxandoque, aliave aliqua via, (de qua tametſi non ſatis intellecta, conſtat,) Paroxyſmum invocant Articularem. Veterem novi Αρθεπικὸν, qui in Paroxyſmum, omnium quotquot unquam eſt perpeſſus, longe graviſſimum, ex Terrore incidit. A Venere immodica ſæpiſſime dolent Articuli; adeoque confeſtim, in viris nuperrime uxorem ducentibus, ut eam in Paroxyſmi cauſis Procatarcticis cenſeri oportere, res ipſa monſtret.

EXTRA vero agunt, & *Arthritidis* ſedem afficiendo ſæpe Paroxyſmum movent, Membrorum in Balneis, aliaſque *Humectatio*, *Saltatio*, *Ambulatio* nimia; Articulorum in ſolidum aliquod * *Illiſio*; ab Ictu, vel quacunque alia de Cauſa *Contuſio*. Sed jam ad reliqua pergamus.

---

* Vide *Aretæi de Diut.* Lib. II, Cap. XII.

# Cap. VI.

## *Arthritidis Differentiæ.*

---

### I.

Arthritis Fixa, & Vaga;

PRIMUM, dividitur *Arthritis* in *Fixam* & *Vagam*: *Illa* quæ pars eſt potior, in Membrorum Articulis ſedem habet, a quibus ſibi nomen adſciſcit; *Arthritis* enim, ut jam dictum, ἀπὸ τ῀ ἄρθρα dicitur. Cum eorum aliquem invaſit, aut vires in eo exercet omnes, ſpumam in eum evomit omnem inibique Paroxyſmum abſolvit; aut in alium & fortaſſe tertium migrans, diverſis, ſed alio ex alio, locis, ſeſe exerit; itaque vel uni, vel Artuum unis

unis affigitur Articulis: *Hæc* autem e contrario Internodia, ſive ſpatia τοῖς Ἄρθροις interpoſita, ſibi in ſedem eligit; Muſculos, Venas, Arterias, Nervos in Artubus inveſtientes Membranas aggravat, per eoſque vagatur: modo Brachia ſtricte ſumpta, modo Cubitos, modo Femora, modo Suras, viciſſim occupans & laceſſens. *Vagæ* Dolor non tam acutus, atque ille qui *Fixæ* eſt *Arthritidis*; neque Inflammatio tam minax, ſive rubens: non paroxyſmos habet illa tam perfectos, aut in ſtadia tam accurate diſtinctos; ſed tempus in diutinum protractos, ſæpe interciſos & abruptos; & tempeſtate præcipue pluvia, ſæpe recurrentes. Non ſatis animadverſa hæc *Arthritis*, ſub *Rheumatiſmi* larva hactenus delituit, apud *Dunmonium*; ne dicam alias regiones; (cujus utique rei exempla ſatis luculenta, ſubter in medium feram) donec ætate ægri affecta, Articulis inſederit, iiſque jam denique *Fixa*, depoſita larva, ſe ab initio genuinam *Arthritida* fuiſſe, palam agnoverit, idque interdum poſt annorum viginti vagationes.

## II.

EST etiam *Arthritis* ſive παρεξωίσθαι, ſeu Παρεξωίσθαι, &

Quiescens.

seu *Quiescens*. De illa *Paroxysmum* movente, supra diximus; de *Quiescente* jam dicendum, rem non recte accipi, si a *Paroxysmo* nullum in Sanguine Miasma relinqui cogitaverimus: e contrario, partem ejus tantummodo aliquam, forsan efferatiorem exulare, verisimile est: reliquam vero, debilitatam, retusam, & repressam, iram ponere, defervere, & in cruore se abscondere; ad turbas iterum concitandas, a prælio jam nunc confecto, minime paratam. Hinc est quod *Arthriticorum* multis, statim a *Paroxysmo*, pacatissima prosperrimaque res salutis sit. Esurire, comedere, oculis micare, scribere & loqui argute, equitare, pugnare, atque adeo ingenerare, & omnium horarum homines esse solent, ad tempus aliquod impune: eo nimirum usque donec, aucto in Sanguine renovatoque Miasmate, denuo tententur. Unde in vacationibus a *Paroxysmo*, non tam quiescere & silere *Arthritida*, vulgus opinatur, quam esse desinere & finiri: adeoque *Paroxysmus Arthriticus* vulgo ipsa *Arthritis* audit, acsi tota esset in *Paroxysmo*.

ALIA est *Arthritis Hæreditaria*, parentum vitio contracta & a Patre sæpissime derivata: alia vero *Arthritici* propria, malis ipsius moribus suborta.

III. ALIA

## III.

ALIA porro eſt *Arthritidis* Diviſio, in *Calidam* & *Frigidam*; quæ ab antiquo facta, omni ævo placuit, & a nobis omnino retinenda eſt, utpote in Artis uſu ad juvandos *Arthriticos* apprime utilis. Fuere, qui in Diviſionis hujus rationem & partes ſubtiliter inquirentes, Utrum ab ipſa Cauſa Continente, an ab ægroti Conſtitutione, alias *Calida*, alias *Frigida* deducatur, interrogarunt. Conſtitutioni multum hac in re deberi, agnoſcendum eſt; ſed & dandum aliquod ipſi Cauſæ materiei: Primum eo patet, quod *Calidæ Arthritidis* Symptomata, præterquam in *Calida Conſtitutione*, nuſquam inveniantur. Alterum, quod diverſa Cauſæ conjunctæ materia, diverſa facere Symptomata, & diverſas *Arthritides*, non immerito cenſeatur. In *Calida Arthritide* graviora ſunt Symptomata, in *Frigida* vero longiora. *Calida* virorum magna ex parte, *Frigida* mulierum.

Calida, & Frigida;

SED & alias, ratione Cauſæ conjunctæ multifariam dividendæ, *Arthritidis* eſſe Diviſiones, probabile eſt, quod *Arthritides* eæ, quæ ex omni parte ſimiles cernuntur, &

*A Cauſæ conjunctæ diverſitate, multiplex* Arthritis.

*Fa-*

—— *Facies quibus omnibus una,*

juvantia & lædentia longe diverſa habeant, & alias aliaſque medendi methodos requirant. Quod ut uſu pene quotidiano patet, ita a nullo alio fonte melius quam a varia Cauſæ conjunctæ natura, poteſt deduci; quæ utique varietas, in obſcuro poſita, cum ab humano ingenio nequeat explicari, de *Arthritidos* iis Diviſionibus, quæ ab illa manant, ut dicatur enucleate, nequaquam expectandum.

## IV.

A Locis affectis,

DEIN a locis affectis eſt *Diviſio*: unde *Podagra*, *Chiragra*, & *Iſchias*; quibus Nominibus contenti fuere veteres, Articulamenta cetera tenentem, eorum *Arthritida* nominantes. His a recentioribus adjecta ſunt *Omagra*, *Pechyagra*, *Gonagra*, vocabula nova veteribus morbis impoſita; quibus ſignificantur Humeri, Cubiti, Genu *Arthritides*. De hiſce omnibus, quaſi tot *Arthritidis* Speciebus, aliquod diſtinctius ediſſerendum.

## V.

Podagra,

PODAGRA eſt omnis illa *Arthritis*, quæ Pedem extremum mordet; utque

*Ar-*

*Arthritidum*, quotquot unquam fuere, frequentiſſima eſt, ejus nomen, apud Auctores medicos, *Arthritida* generatim acceptam, & illius Species alias, non raro (quod ante dictum eſt) ſignificat. Habet illa duos in Pede locos, quorum primus & principalis *Halli* intimus & *major Articulus, cum Subjecto ei Globo*: Tum *Malleolus*. Illum primo omnium occupare, ſæviſſimeque excruciare ſolet. *Dolor* eſt interdum acutiſſimus; cui paulo poſt ſuccreſcit *Tumor*, *Inflammatio*, Cutis lævitas, & Nitor. Mæſtiſſimum hoc ægroto tempus, clamoribus, execrationibus, agitatibus inſigne; uno pede, quaſi clavo trabali, fixo; ſic, ut ſi latum unguem moveretur ille, præcipue vero ſi in durum aliquod illideretur, nihil eo homine vociferantius; nihil inquietius. Poſt dies aliquot triſtiſſime actos, elato jam Tumore, Dolor paulatim mitigatur: Palleſcit Tumor, & tractu temporis ſubſidit, Cute Squamulas quaſdam interdum emittente. Hic *Podagræ* paroxyſmus abſolutus eſt, at in alia nonnunquam membra, ſæpe vero in alium ejuſdem membri articulum, nempe Malleolum migrat, & in eum ſive Materiæ partem, ſive quod reliquum eſt omne infundit. Pro illius copia, vel Malleoli latus alterum, vel utrumque, Tumore lato & ſubrubente extendit.

tendit. Dolor autem, quam in Pollice, minor. Eſt ubi Pollicem, Calcem, Plantam, Tarſum, atque adeo Pedem omnem, quod *Podagricis* ſenioribus & plethoricis accidit ſæpiſſime, facit intumeſcere. Poſt dies aliquot deturget Tumor, & Articuli manet imbecillitas. Atque hic hujuſce *Podagræ* Paroxyſmi finis eſſe ſolet, niſi miaſmate in alium locum tranſlato, antequam abſolvi queat, Paroxyſmus abrumpatur. Poſt varios ejus Paroxyſmos, cum ea jam inveteravit, Gelatina & Tofis Articulos ſæpe gravari, quin & Tendines contrahi cernitur; itaque ſupra modum affici, ut Digiti diſtorqueantur, Pedes Suram verſus contrahantur, & ad ambulandum æger inhabilis reddatur.

## VI.

Chiragra, PODAGRÆ proxima eſt, nec quidem longo ab ea diſtat intervallo, *Chiragra*: quæ Carpi, & Digitorum infeſtat articulos. Nunc enim intimum Pollicis articulum, nunc Indicis, aliaſque alium, tam in hiſce Digitis, quam in aliis invadit; aliter quam in Pede, ubi paucioribus articulis contenta eſt *Arthritis*, nimirum Halli fere ſolis. Quemcunque vero teneat, & Dolorem, & dein Tumorem, cum

cum lævitate & nitore Cutis, maxime in Pollice & Digito majori infert. Si materia non ad membrum aliud e manu vagetur, eadem Paroxyſmi ratio eſt, atque in *Podagræ* Paroxyſmo. Utrobique enim eodem ordine eadem fere Symptomata, quoad Dolor remiſerit; eoque remittente, Tumor uſque perſiſtit, donec in eo quicquid eſt humoris exulat, aut in Gelatinam (quod *Arthriticis* ſenioribus uſu venire ſolet) dureſcit. Gelatina, ubi tempus eſt, in Tofos abit. Tofi implent articulos, eorumque motui ſufflamen addunt. His utriſque diſtenduntur, diſtorquentur Digiti, & forma Radiculæ, aliena & monſtroſa, non ſine horrore quodam, aut commiſeratione cernuntur. In Carpo eadem pene, atque in Malleolo *Arthritis*, Dolore ſcil. Tumore, & Colore roſeo inſignita; quæ vero brevior, & benignior, quam quæ in Digitis eſt; neque Tofis, niſi raro, comitata.

## VII.

ALIA Genuum eſt *Arthritis*, a prædictis ſpeciebus eo diſtincta, quod Dolorem habeat tolerabilem, minime cruciantem: Tumorem magna ex parte οἰδηματώδεα. Paroxyſmus ejus ſæpe interciditur; *Genuum* Arthritis,

Miaſmate

Miaſmate reſumto, & in aliud Articulamentum a Sanguine depoſito. Unde fit, quod *Arthritidi* huic, utut inveteratæ, vix unquam Tofus ſuccreſcat, ſed interdum *Frigidæ*, *Crepitus Oſſium.*

## VIII.

*Cubiti,* *CUBITI Arthritis*, quarto loco cenſenda, multum a reliquis differt: primo enim veteres *Arthriticos* potiſſime vexat, neque niſi poſt frequentes acceſſiones orditur. Cubito Tumorem infert extremo rubicundum, at Dolore non immodico ſtipatum: notabilem hic aliquando magnitudinem acquirit, & Scroti, vel Ovi mollis, & aere nondum indurati, formam habet dimidii. Gelatinam continet, quæ in Tofos ſæpe concreſcit: de quibus in Symptomatum Claſſe fuſius.

## IX.

*Coxendicis, ſive Iſchiadis,* *ISCHIAS Arthritica* ſpecierum omnium ἐν τοῖς ἔξω graviſſima eſt: etſi enim *Podagra Chiragraque* majori comitatæ ſint Dolore, nulla tamen *Arthritis* exitum æque miſerabilem, aut tam frequenter exitioſum habet. A Frigore ſolet incipere Dolor, qui plerumque lentus & longus, potius

potius quam acer & cum impetu. Tumor deinde fit, interdum magnus; ſic, ut in omni *Arthritide* nuſquam major. Cutis pallida, velut in OEdemate. Immenſa vis Humoris *Arthritici* in hunc Articulum nonnunquam infunditur; unde non tantum ille omnis, utut magnus & alieni capax, adimpleri, ſed & Femur extendi ſolet; & niſi cautum fuerit ἐν καιρῷ, Abſceſſui via fit; Cum huc deducta res eſt, aliquando φθίσις Ιχαδικὴ, (de qua *Hippocrates* in *Coacis*; Lib. 1, Sect. CXLVII) aliquando Ulcus ſinuoſum oritur. Alias Κοτύλη Gelatina refercitur, articulus ad motum redditur ineptus; unde per reliquum vitæ claudicat *Arthriticus*.

## X.

POSTREMO, *Humeri Arthritis*, quæ quidem omnium omnino benigniſſima eſt, raro prima vice Paroxyſmorum, ſed poſt alios Articulos ſæpe diuque cruciatos, hunc etiam attentat; & tum quidem obiter, tanquam hoſpes: Cito enim ad alium quendam articulum migrans, raro Paroxyſmum in Humero perficit. Hinc eſt quod Tofi, ceteraque ejus frequentiæ & crudelitatis ſigna, rariſſime in eo notentur. Humeri.

PERGAM ad *Arthritidis* Prognoſtica.

Diss. I. Cap. VII.

# Cap. VII.

## *De Prognosticis.*

Canones Prognostici.

MEDICINÆ, si quid mei judicii est, vix ulla pars sublimior, aut quæ magis spiret Ingenium cæleste; quam quæ est de *Prognosticis*: ea enim Medicus, ortu Morborum, incremento, statu, terminoque perspectis, eorumque notitia sic, ut decet instructus, horum omnium Mores & vias (tamquam e Pharo) longe prævidet, Divinatione quadam prædicit. Hanc etiam, utut duram & difficultatibus plenam, opus erit attentare partem; ideoque Canones in ea nonnullos, minime perpetuos & ubique veros, at ὡς τὸ πολὺ valentes, in medium feram.

I. IN

## I.

IN *Prognoſticis* ſciendum eſt, *Arthritidi*, quamvis (ſicut hodie Medicinæ ſtatus, ac conditio; ſicut etiam mores Hominum ſunt) Morbo pertinaci, curatuque perdifficili, natura nihil ineſſe videri, quominus illa, modo Antidota ſatis idonea invenirentur, riteque adhiberentur, auferri poſſet. Certe inſanabilis, ſi ipſammet intueamur *Arthritida*, ratione ſui non eſt habenda.

## II.

QUAMDIU annis ſive ſingulis, ſive alternis, maxime ſi in Corpore ad ſenium vergente, Paroxyſmum *Arthritis*, eumque non nimium, ſed tamen quo, Naturæ quod moleſtum eſt, id exſpumet omne, repetat; hæc inquam, *Arthritis* Encomium meretur, tamquam Morborum expultrix, Vitæque conſervatrix; & quidem ab iis, qui ſunt æqui rerum æſtimatores, non parvi penditur. Namque Sanguinem a Materia vitioſa liberando, ægros a *Febribus*, a *Phthiſi*, ab *Aſthmate*, aliiſque *Viſcerum* & *Capitis Affectibus* immunes reddit: Illa Morbus, ſiquis alius,

*Salutaris*, & ubi Corpus alienatum & corruptum eſt, in malis vix ponenda; ſæpe vero deſideranda.

## III.

QUO legitimæ & perfectæ huic *Arthritidi* propior ſit *Arthritis* ulla, eo melior: & contrario, quo ab hac Perfectione longius excurrat, eo pejor. Hæc ut aperte explicentur, ſi Paroxyſmum ultra tempus illud, quod eſt Naturæ maxime conveniens, & ubi Miaſmate Sanguis ἐμπλαπῃ, differat *Arthritis*, pejor: quoque magis pergat differre (modo nihil accidat, quo aliorſum illud ablegetur) eo pari proportione pejor. Et quidem ab iſta Paroxyſmi dilatione, (ſive ſponte, ſive ſtudio facta) Nationi *Arthriticæ* vix concipi poteſt, quam crebro, & quam immane periculum adduci ſoleat. Nam a nimia iſthac, atque adeo periculoſa *Arthritidos* vacuitate, vel Paroxyſmus diu

—— *Spatiis excluſus iniquis*,

jam demum a Quiete vegetior inſequitur; Dolore acerbiſſimo, Vigilia pertinaciſſima, aliiſque Symptomatibus graviſſimis ſtipatus; quoque ſerius, eo ſævior: unde Vires ægri plurimum enervari ſolent, aliaque ſexcenta mala producuntur, vel Cauſa

ſa evidenti aliqua fortuitu emergente, & rem *Arthriticam* uſque conturbante, Miaſma retro ad τὰ ἔνδον actum eſt, & *Arthritis Regularis* degenerat in *Anomalam.*

SI vero, poſita Paroxyſmi frequentia ſatis idonea, non ita peragatur ille, ut Virus omne, quod emitti oporteat, ideo foras emittatur; imperfectus ille Paroxyſmus, Naturæ propoſito minime reſpondens, non aliter æſtimandus eſt, quam eo facta Sanguinis depuratione; quæ ſi mediocris, *Arthritidis* acceſſione nova vel brevi ſuppletur, vel a Miaſmate in Sanguine (tamquam a Lupo in ſinu) retento, æger ſummo in diſcrimine verſatus erit.

## IV.

*PAROXYSMUS*, qui leniſſimus, Dolore parvo aut brevi, ſomnique interміſſione nulla comitatus, non eſt ſemper optimus.

## V.

SIVE uno eodemque Articulo, (Digiti puta maximi Pedis ſummo) tenore continuo agatur *Paroxyſmus*; ſive interpellatus, alio extremitatum alioque (modo e Sanguine dimittatur, quidquid in

eo alieni moleſtique ſit) fere tantundem erit.

## VI.

SI *Iſchiados* Paroxyſmus ſit diutinus, eoque ſi in Acetabulum Humor infundatur, & denſetur; *Claudicatio* (niſi peropportune præbet opem Medicina) ſequitur, & *Cruris Tabes.*

## VII.

*HIPPOCRATIS* prædictum eſt, *Quicunque aut ſenes ſunt, & circa Articulos callos Tofaceos concretos habent, aut ærumnoſe vivunt, ac ſiccam alvum habent; hi omnes ſani fieri non poſſunt humana arte, quantum ego novi.* †

## VIII.

AUTUMNI & Veris Paroxyſmi uti omnium creberrimi, ita omnibus aliis anteponendi ſunt: Iis etenim tempeſtatibus & Sanguis ad depurgandum aptior, & *Ar-*

† Ὅσοι μὲν ἤ γέροντες ἠδὲ τοῖσιν Ἀρθροισιν ἐπιπωρώμασι ἔχουσιν, ἢ τρόπον παλαίπωρον ζῶσι, κοιλίας ξηρὰς ἔχοντες, ὅτοι μὲν πάντες ἀδύνατοι ὑγιέες γίνεσθαι ἀνθρωπίνῃ τέχνῃ, ὅσον ἐγὼ οἶδα. Prædictorum II, §. XV. *Editione Vander Linden.*

*thriticus*

*thriticus* ab accidentibus, quæ a Frigore & Calore nimio oriri poſſint, immunior.

## IX.

PAROXYSMUS Autumnalis omnibus videtur aliis immanior; Vernalis optabilior; Hyemalis periculoſior; Æſtivus lenior: Peſſimus omnium eſt Hyemalis, quia (ut, de Sanguine tum temporis ſegni, & δυσμεταβλήτῳ nihil affirmem) ille Frigoris ſævitia creberrime retuſus eſt; ille a ſe creberrime deſciſcit, & in *Anomalam* μεταμορφῶτας.

## X.

NULLA maturius incipit *Arthritis*, quam *Hæreditaria*; nulla difficilius removetur: neque enim Adoleſcentulis, neque Puellis parcit. Gratulamini igitur vobiſmet, & in ſinu veſtro gaudete, quotquot eſtis, O bonis orti parentibus. Si vero *Hæreditariæ* ſe adjungat *Arthritidi*, *Paturſa*; a Morbo hoc compoſito quanta miſero Mortali ah! quanta Calamitas! In malis Hominum eſt graviſſimis. Ἰατρικὸν non ſentit ἰατρικῶν. Totius Medicæ Gentis ſpernit Conſilia, ridet Artificia.

XI. *AR-*

## XI.

*ARTHRITIDIS* Calidæ, quam Frigidæ, perfectior eſſe ſolet *Paroxyſmus*: Hic enim multo cum apparatu, cum velitatione, perque Artus huc illuc Erratione orditur; Ille recta rem aggreditur: Hic abrupto, & inæquali modo; Ille æquo, & conſtanti tranſigitur: Hic tempus diutinum, Dies ſæpe ſexaginta, requirit; Ille triginta, vel quadraginta abſolvitur: Hic Cruorem minus purgat; Affectus alios non tam certo abigit; Ille magis, & certius: Hic blandior, at inutilior; Ille ſævior, at commodior.

## XII.

*PAROXYSMI* in Ætate media, acerbiſſimi ſunt; Dolores, Inflammationes, Ἀχρυπνίας a Satellitio immodicas habentes: qui tamen Ætate progrediente, paulatim miteſcunt; donec extrema & decrepita, non raro evaneſcant. Certe ex eorum numero, qui diu *Arthritide* doluere, raro Septuagenarius, perraro Octogenarius aliquis ea magnopere fuit divexatus. Cujus equidem *Arthritidis* primo Sævitia, deinde ſucceſſu temporis Clementia ex eo trahitur,

hitur, quod in media ætate conveniant Satietas & Robur; quorum alterum Materiam largitur, & in Sanguinem infundit alienam; alterum in Paroxyſmo terminatur: eorum autem utrumque Senectuti deeſſe conſtat.

## XIII.

HELLUONES raro *Arthritide* liberantur: & in Paroxyſmo ſi victus *Arthritici* lautus ſit, & Dapſilis, Dolor &c. eo augetur: Si vero remiſſior, &, quam oporteat, tenuior, Languores, *Anomaliæ*que ſunt eo magis pertimeſcendæ.

## XIV.

ANIMI Pathemata, præſertim in Paroxyſmis, magno ſunt *Arthriticis* incommodo, & noxa eos immani interdum afficiunt: maxime vero Mulieres *Arthritide Hyſterica*, vel Homines *Melancholica* vexatos; aut etiam Senes, ætate pariter atque *Arthritide* oppreſſos.

## XV.

*ARTHRITIS Primigenia* quo ſimplicior, eo ceteris paribus tum curatu tum etiam

etiam intellectu facilior: Contra ejus Materia ſi cum *Venerea*, vel *Scorbutica*, ſive vitioſa quavis alia commiſceatur, difficilior: quod Veteribus non † ignotum.

## XVI.

SI, inſtante Paroxyſmo, & in Orgaſmum evecto Sanguine, *Hæmorrhagia*, *Diarrhæa*, ſeu *Varices* acciderint, interdum *Arthritis* ſolvitur.

## XVII.

SI *Arthritico* Miaſmate ſaturato *Febris*, præcipue *Maligna*, ſive *Fractura*, vel *Luxatio*, vel *Contuſio* forte obtingat, malum.

## XVIII.

SI cui, *Vertigine*, vel *Dolore Capitis*, vel *Epiphora*, vel *Angina*, vel *Apoplexia*, vel *Tuſſi*, vel *Aſthmate*, vel *Colica*, aliove pene quovis Affectu interno, & ſanabili gravato, adveniat *Arthritis*; ſi non optato, (neque enim eo ſumus omnes ingenio, ut in rem

† Εσθ' ὅτε δὲ καὶ μικτὸς [χυμὸς] οὐκ ἀπαλλάττων χάριν ἐστιν. διὸ καὶ τὸ δυσδιαγνωστόν τε καὶ δυσθεράπευτον, ἢ ἐς χεῖρον ἀθεράπευτον ἡ νόσος κέκτηται. *Pauli* Lib. 3. Cap. 18. *Ed. Aldina.*

noſtram

noſtram quid ſit, ſemper intelligamus) certe auſpicato advenit; à malis gravioribus Ægrum defendit, Vitæ ſæpenumero fert auxilium.

## XIX.

ETSI Paroxyſmus omnis perfectiſſimus, ubi nulla fuit *Anomalia*, Dolorem habet acutum; quoque hebetior & obtuſior is, eo plerumque fructum & utilitatem affert minorem ille; nihilominus, ubi fuit *Anomalia*, & tranſlata *Arthritide* Paroxyſmus arte factus eſt, cum *ingenti Tumore*, Dolore vero parvo, poteſt eſſe *ſalutaris*.

## XX.

TUMORES Pedum *Arthritici*, in ætate provectis diuturni (quanquam *Hydropa* minitari videantur, ejuſque metum non raro ingentem incutiant) ab Affectibus non paucis, ab ipſo interdum *Hydrope*, Ægrum immunem & incolumem præſtant, eique ſunt tutelæ: Certe in Senibus & grandævis, quamprimum hi *Tumores* ſubſidunt, plerumque malum eſt. Ad ea quæ intus ſunt, Humorum fit Tranſlatio.

XXI. SI

## XXI.

SI Dolor Articularis ex improviſo deſinat, & in Paroxyſmo Tumor reſideat, aut in eo contentus Humor repellatur, nulla ejus facta Expulſione, nec in alium externum aliquem locum Μεταστάσει, malum.

## XXII.

*ARTHRITIS* antequam occidit, plerumque in *Anomalam* degenerat:

## XXIII.

NIHILOMINUS longe melius, ſi ad *Gingivas*, ad *Aurium* Regiones, aut *Habitum Corporis*, quam ſi ad *Fauces internas*, aut ad *Viſcera* transferretur Humor.

## XXIV.

UT omnis in Viſceribus *Anomala Arthritis*, mala; ita quæ non niſi difficulter in viam reducitur, pejor: quæ vero originis ſuæ quaſi oblita, in alium Morbum mutetur; alieno nomine abſorbeatur, nec quavis Arte ἐπανορθῶται; ea ſemper formidabilis, ſæpe exitioſa: modo enim Cibi

bi concoquendi; modo Chyli ſecernendi; modo Sanguinis elaborandi; modo Spirituum ex eo eliciendorum Organa corrumpendo, Vitæ ordinem interturbat, ejuſque perſæpe rationem funditus evertit. At, ut diſtinctius dicam, ſi τὰ Ἐντερα invadat *Arthritis*, malum; Si *Pulmones* & *Reſpirandi Organa*, pejus; Si vero *Cerebrum* & *Nervinum Genus*, peſſimum.

## XXV.

SIQUIS à Paroxyſmo nuper convaleſcens, *Cereri* ſtatim ſupra modum indulgeat, Λῆρον ille agere judicetur; Si vero, *Cereri* ſimul & *Veneri*, Λήρων ille utique ληρότατον, & fere pœnas temeritatis ſuæ dat.

## XXVI.

NIHIL veteribus *Arthriticis* nocentius, quam Vitæ non nimis abſurdam mutare rationem, &, Vino alioque Victu generoſo jam tandem miſſo, bonæ (quod dicunt) frugi eſſe, & Morbum magnificentiæ aſſuetum male demum accipere. Enimvero ſævit, indignatur, hunc in modum accepta, *Arthritis*; Inteſtina ſæpe advolat, corrodit, & Ægrum eviſcerat; vel, Pulmonum Adyta invadendo, ſuffocat: Nec

Nec tam Morbum hi Homunciones, quam ipſos ſe conficiunt.

## XXVII.

SI annos aliquot *Arthritis*, ætatis medio, per Internodia fuerit vagata, ſenecta incipiente ſæpe in Fixam migrat; ex eoque raro, niſi ad tempus aliquod breve, remigrat in Vagantem.

## XXVIII.

SI quis ſedulo & graviter *Arthritici* auxiliari velit, omnis ab eo adhibenda ratio & diligentia eſt, primum *in Paroxyſmo* (ſive *Primigeniæ*, ſive *Symptomaticæ Arthritidos*) Symptomata, vehementiam eorum minuendo, curare; Excurſiones, & *Anomalias* prohibere, & quam citiſſime factas corrigere. Poſt hæc *in Vacatione Arthritica*, ut Prophylaxis, qua Medicamenta, qua Cibum & Potum, qua Veneris uſum, qua Exercitationem, aliaque Sex *Non-naturalia* reſpiciat, inſtituatur, &, uti par eſt, continuetur.

QUI vero *Arthritici*, doctis & prudentibus adjuti Medicis, eorum præceptis obtemperant, & ſapienter vitam agunt, ingentem ex eo fructum hi percipiunt, & fœlicius

fœlicius & diutius, etiamsi non *Arthritide* liberati, quam sine his auxiliis degunt. Quinetiam addam, quod exemplo mihi non uno constat, eorum nonnullos, ut diluam hoc medicorum opprobrium, *Arthritide* penitus sanari.



CAP.

# Cap. VIII.

## *Curatio Paroxyſmi.*

### I.

*Curationis* Arthriticæ *Indicatio generalis.*

CURATIONIS *Arthriticæ*, qua patet, Indicatio generalis in eo ponitur, ut corpus humanum a Miaſmate *Arthritico*, quoad ejus fieri poteſt, defendatur, tutum, integrum ac immune reddatur, nec ab eo turbetur, multo minus evertatur in illo res ſalutis. Ut hoc commodiſſime fiat, hoſti tam peſtifero, omni loco & ejus ſtatu occurrendum eſt, & ubicunque fuerit, auxilia medica ſunt ex adverſo

verſo adhibenda; atque adeo, ut ad eum debilitandum & opprimendum faciant quam maximopere. Qua de cauſa varios ejus ſtatus ac conditiones opus eſt ut exploremus, ſedes & latebras inſpiciamus; hunc videlicet in finem, ut in illarum ſingulis auſpicatius eum aggrediamur; quando hac in re non minus quam in bello, aliter in Copiis comparandis, aliter in formando Exercitu, aliter in Acie componenda, aliter in ipſo Prælio, aliter eo finito & in Fugam mutato, hoſtis impugnandus.

## II.

CAUSA *Arthritidem* committens triplici caſu curanda eſt, ut in *Paroxyſmo*, ut in ejus *Vacationibus* ſe habet; ut in ejus *Excurſionibus*, ſive *Symptomatibus*: Unde oritur 1°. Curatio *Paroxyſmi*; 2°. *Prophylactica*; 3°. *Symptomatum*: de quibus ordine.

Curatio Paroxyſmi.

CUM in *Paroxyſmo* omni *Arthritico* in eo Natura impendit operam, ut alienum aliquod ſibi moleſtum e Sanguine foras ad πὶ ἔξω pellat, medici erit hoſce ejus de induſtria conatus promovere, omniaque ſic ordinare, ut inſtitutum & jam inceptum opus abſolvant: Quare ſaluti ſuæ parum

illi conſulere videntur, qui cum Natura ſe ad *Paroxyſmum* (id eſt alieni expulſionem) accinxit, operam & ſtudium in eo ponunt, ut *Paroxyſmum* antevertant: qua in re non pauci gloriantur, tamquam *Arthritidis* victrici; ipſique morbum hunc Herculeum evincere ſe oſtentant, qui tantum ejus protelant *Paroxyſmum*, majori cum ſævitia poſt paulo reverſurum, quorum Hiſtoriæ mihi non paucæ ſeſe obtulerunt, & eorum nonnullæ * referuntur. In *Paroxyſmi* initio conſiderandum eſt, utrum in Sanguine vis alieni tanta cumularetur, ut in ea expellenda nimis crucietur æger: quod utique non raro accidit, præſertim in Juvenibus iis qui Gulæ & Ebrietati ſe dederunt, earumque fuere mancipia, & in *Paroxyſmis* ab hiſce cauſis evidentibus oriundis. Hoc caſu Sanguinem, *Arthritide* Paroxyſmum inchoante, licebit detrahere; unde melius, & pacatius ille perficietur: Hoc autem facto imprimis opus erit, ſi Cacochymiæ, quam dixi, *Arthriticæ* Capitis Gravitas, Dolor, aut Vertigo ſupervenerit. Diætæ ratio hoc tempore mutanda, nec quicquam unquam utilius, quam, ut vires ferent, Abſtinentia. Qui Genio indulgent dolituri, oleum camino

* Hiſt. XIV.

addunt.

addunt. Quare, miſſis Cereviſia forti, Pomaceo, Vino, & ex Carne Cibo, omnibuſque quæ Sanguinem inflamment & Febrim augeant, bibat æger ſubinde *Infuſum Teæ, Salviæve*; *Panem manducet biſcoctum*, aut *primarium Butyro illitum*. Sorbitionibus, ut Juſculo avenaceo, Panatella, & iſtiuſmodi tenuibus, crebro utatur, ad reficiendos Spiritus, & eorum languores & depreſſiones inhibendos. Quinetiam *Arthriticis*, qui non minus ſibi proſpiciunt ac conſulunt, incumbit, omnia illa, quæ quoquomodo *Paroxyſmum* legitimum & abſolutum impedire poſſint, aut Sanguinis ad eum motui impedimento eſſe, diligenter & anxie vitare. Nemo *Arthriticorum*, ingruente *Paroxyſmo*, Itineri ſe Hyeme committat: Nemo in loco frigido diu commoretur, aut in lecto cubet humidulo: Nemo ætate affecta Sanguinis miſſionem nimiam patiatur. Qui de rebus hiſce minus ſolliciti, naturæ in ſui tutelam & defenſionem agenti, ſive reprimendo neceſſarium illum in Sanguine orgaſmum, ſive materiam morbi ad viſcera divertendo, adverſentur, pœnas ſubeunt identidem graviſſimas; quique morbus ſua natura *Salutaris* eſt, ejus more jam inverſo, fit *Lethalis*.

In ejus Initio,

## III.

*In Paroxyſmi Incremento.*

AD *Paroxyſmi Incrementum* tranſeo, quod (ut dixi) cum *Dolore* incipit, *Tumoreque* ad ſuam magnitudinem evecto terminatur. Quo temporis ſpatio, cum, electa jam *Paroxyſmi* ſede, in eam alienum mittere Natura ſummis viribus contendit, huic ut opitulemur, id agendum, ut illius expulſionem & in novam Sedem receptionem acceleremus, facilemque reddamus. Quare pars affecta a Frigore defendatur, ſive Laneis, ſive Cuniculorum pellibus, ſive Cygnorum, aut iſtiuſmodi aliis, quæ calorem inferant, alienum illuc invitent, itemque tactu ſint molliſſima. Fuere qui involuto parti affectæ & dolere incipienti Oeſypo, Perſpirationem auxere, & multum inde profecere. Eſt enim Mundus *Arthriticus*, non minus quam Muliebris, & eo recte uti magni res eſt emolumenti. Victus interea talis eſto qualis in *Paroxyſmi* Initio, tenuis ſcil. a quo Sanguis efferveſcere nequeat. Qui Siti & Febre gravati per hoſce dies Aquam frigidam temere hauſerunt, non ſine magno ſuo incommodo, vitæ cum periculo id fecerunt: ut exemplis infra oſtendetur. Alieni munus expellendi natura per ſe plerumque viribus

viribus ſuis contenta peragit, & raro medicis eget auxiliis: ſin hac in parte defecerit, & opus fuerit ποδαγραγωγοῖς (quod in ætate provectis, aut imbecilli conſtitutione præditis, interdum obſervare licet) dari poteſt utiliter e blandioribus aliquod, ut *Pulvis e Chel. C. C. Pul. Ruber Exonienſis*, ſeu *Vinum Rubrum Burdegalenſe*, aut noſtrum indigena *Pomaceum*. Sic Indicatio in Paroxyſmi *Incremento* præcipua requirit, ut in Articulum aliquem externum, ubi Caſtra poſuit *Arthritis*, ejiciatur id quod alienum eſt, ibique facile recipiatur.

## IV.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

IN *Paroxyſmi ſtatu* laborandum eſt, ut ibi retineatur, neque retro in Sanguinem, & ea quæ intus ſunt, agatur alienum. Hunc in finem, parti affectæ, ſi ejus ratio permiſerit, applicetur *Braſſicæ folium*, Fibris craſſioribus exemptis, tuſum: aut * *Epiſpaſticum*, aut e *Cymini ſeminibus Emplaſtrum*, aut *Ceratum* illud viride ex quo fiunt Petaſothecæ. His vel hujuſmodi aliis cum veſtitu idoneo evocabitur alienum, quo nihil *Arthritico* utilius. Nonnullis in more fuit, ubi Dolor & Inflammatio urgent, *In ejus Statu.*

* Diſſ. II, Cap. XI, Hiſt. II. Hiſt. XIII.

vel ubi opus fuerit Paroxyſmum * abrumpere, *Hirudinem* Tumori admovere, quod magno illis uſui eſſe ſolet, & cauſam morbi recta educit. Idem faciunt *Cucurbitulæ* in loci affecti vicinia, cum *Scarificatione*. Lautiori paulo jam victu utendum, *Sorbitionibus* e *Juſculo Pullino*, ſeu *Vitulino*, *Chocolata*, & iis, qui Abſtinentiam a Carne non niſi moleſte ferunt, Pullo in Prandium cocto, aut Piſce molli teneraque. Parendum enim eſt neceſſitati, cui nec Homines, neque ipſi (ut *Simonides* ait) Dii pugnant. Interim fatendum eſt, qui a Carne omnique Febrim augente cibo, per *Incrementum* & *Statum* Paroxyſmi, ſeſe abſtineant, eos levius dolere & ex *Paroxyſmo* citius evadere. Crudeliſſime vero omnium illi ſe multant, qui Doloris impatientes, ad eum mitigandum attenuandumque, aut Inflammationi frigidum aliquod imponunt, aut Artum affectum in Aquam frigidam aut ſalſam † immergunt, aliove quovis modo Tumoris materiam repellunt. Papæ! quanta pars *Arthriticorum* in rebus medicis ad ſui perniciem Ardeliones, letho ſe præcipites hoc modo tradidere. Aliud dicam minime ſpernendum, magno *Arthriticis* eſſe uſui, per hocce Stadium

---

* Hiſt. IV. † Diſſ. III, Cap. II, Hiſt. II.

præ-

præcipue, & illud quod inſequitur, nullis negotiis, nulla animi ſolicitudine vexari, ſed ab omni anxietate liberum tempus, &, quoad fieri poteſt, quietum & tranquillum agere. Ideoque ſi ſomnus ſe ſubduxerit, & ægrotum vigilia, ſic, ut *Arthritide* gravatum reliquerit, nihil ei magis Cardiacum erit, quam Paregoricum mite, ex *Syrupo de Meconio* Aquis idoneis ſoluto, hora ſomni propinare.

## V.

*In Paroxyſmi Declinatione.*

DOLORE, quod Symptomatum *Arthriticorum* longe graviſſimum eſt, finito, *Paroxyſmi* incipit *Declinatio*: in qua *Tumor* præcipue curandus. Laneorum uſu continuato educetur, per inſenſilem perſpirationem, Humor inibi contentus. Pedes affecti quotidie, qua licebit, extendantur, huc illuc agitentur, & ad uſum reducantur: quamque primum fieri poteſt tuto, pedibus ſenſim ſe committat æger. Cibo interim idoneo, id eſt, leni, εὐχύμῳ, & ad concoquendum apto ſe reficiat. Nihil autem vires, a *Paroxyſmo* fractas & enervatas adeo inſtaurat, atque Aër apertus & bene ventilatus: quare in apricum Equo, Sella, vel Curru, Ægrum, ut primum poterit, efferri expediet. Si Pedum imbecillitas

cillitas manebit, unde ii ſint ad motus inhabiles, immergantur in Urinæ humanæ Balneum, cum *Lauri vulgaris* & *Roriſmarini ſummitatibus* in ea incoctis: aut Spiritu ardente, *Rum* appellato, foveantur; & ad tempus aliquod Tibialibus contra Frigus induantur. De Manibus, ſi illæ affectæ fuerint, idem fere dicendum; nempe eas oportere bene ab Aëre defendi; Laneis aut Sericis involvi, ut e Tumore foras humor evocetur.

## VI.

IN *Paroxyſmo* omnium maxime regulari & abſoluto, tenuis hæc Curatio ſolet ſufficere, & quidem eo magis, quoniam *Arthritidis Paroxyſmus* Naturæ opus eſt, in ſui defenſionem agentis; hoc eſt, *opus ſalutare*. Nihilominus in quantum illud crebris ex occaſionibus interpelli, & alio alioque Articulo aliter atque aliter agi reperiatur, de hiſce *Paroxyſmi* Arthritici tam accidentibus, quam imperfectionibus, ſpeciatim aliquod dicendum eſt. Si *Podagra* vel *Chiragra* interpellata, *Paroxyſmum* in eodem aliove Pedum aut Manuum Articulo ſuſceperit, diſci poteſt e jam dictis ejus medendi ratio, quæ *Arthritidi* denuo repullulanti accommodanda.

IN

IN Cubiti & Humeri *Arthritide*, nihil commodius, quam partem affectam à Frigore Laneis tueri, itaque humorem vitioſum e Tumore ſenſim educere: Cum hujuſmodi ſolent eſſe mitiores *Paroxyſmi*, modicis hiſce auxiliis extra adhibitis ſolent allevari.

IN *Gonagra*, quæ aliquanto pertinacius ſæpe urget, præter *Lanea*, *Braſſicæ folium*, aut *Ceratum viride* poteſt admoveri. Aucta hiſce Perſpiratio ægrotanti commodiſſima eſt. Interea nihil in his aliiſque morbis articularibus agendum, quod alieni humoris expulſioni quoquomodo repugnet, itaque naturæ propoſito adverſetur.

## VII.

*ISCHIADIS Arthriticæ* Curatio propria eſt: primum, in iis qui Sanguine abundant, ejus unciæ circiter octo, *Cucurbitulis cum Scarificatione*, ſunt detrahendæ: tum purgatio facienda, & quidem optime *Mercurio dulci* cum *Reſina Jalapii* vel *Scammonii*, & *Pilulis* ſive *Euſtachianis*, ſive *e Duobus*. Purgationem hunc in modum repetere ſoleo, modo nihil vetuerit, ad tres vel quatuor vices, debitis ex intervallis. Finita purgatione, extra ea ſunt admovenda,

venda, quæ materiam alienam evocabunt. *Romani Inulæ radicem contuſam & poſtea ex Vino auſtero coctam, & late ſuper coxam impoſitam, inter valentiſſima auxilia* putavere. Prodeſt *Emplaſtrum Cephalicum cum Euphorbio & Pyrethro*; Iſchiadicum *Fulleri*, vel e *Pice Burgundica*, & *ſeminibus Cymini*; prodeſt *Epiſpaſticum* ad dies 6, 8, vel 10 ita continuatum, ut Ulcus eo uſque juge ſit. Ubi vero alienum ita copioſum in Coxendicem infunditur, ut ab ea, referto jam articulo, motus inhibeatur, & claudicatio permagna ſuboriatur, nihil hoc caſu valentius quam *Setaceum*: quod in educendo Miaſmate *Arthritico* ſæpe commodiſſimum novi. Poſt ejus uſum ad tempus diutinum, aptum erit *Iſchiadico* Aquas *Bathonienſes*, aut alias iſtiuſmodi blandas & Diureticas in menſes binos, aut *Decoctum è Lignis cum Raſ. C. C.* in dimidium anni bibere. obeſt quicquid materiam in tumore contentam repercutiat.

## VIII.

*ARTHRITIDIS vagæ*, quoties illa παροξυσμὸς), Curatio requirit, ut modis idoneis fiat alieni, Muſculos & Membranas Articulis interpoſitas excruciantis, evacuatio. Hunc in finem mihi uſu venit primum

mum Sanguinem venæſectione detrahere: Deinde, leniente quodam, & Sanguinem non nimis agitante, ventrem ſubducere. Placet id, quod ſequitur.

℞ *Manna* ʒ *jſſ*
*Salis Cathart.* ℈*vj*
*Lactis Vaccin.* ℔ß coque ad ſolutionem, adde *Aq. Hordeat. Maciat.* ℔*ij*
*Colaturæ adde Elix. Salut.* ʒ *j ad ij,*

f. *Solutum*, horas inter 6 & 7 matutinas, per vices, hauriendum. Poſtridie Purgationis, ſi Dolor urget, venæſectionem repeto. Tunc iis quæ ſanguinem temperent, quæ ejus orgaſmum inhibeant, quæ Dolores allevent, eorumque cauſam per renes efferant, utendum.

℞ *Fol. Teæ* ℈*j*
*Coccinell.* ℈*j*, infundantur in Aquæ Pluviat. ebullientis ℔jſs ad idoneam alterationem: Colatura Saccharo cryſtallino dulcata, horas inter 7 & 9 matutinas ebibatur. Huc etiam facit *Serum Lactis*, cum *Taraxaci ſummitatibus*, & *Electuarium* ſequens,

℞ *Conſ. Lujulæ, N. M. Cond.*
*Pul. e Chel. S. & e Teſt. Ovor.* āā ℈*ij*,
*Spec. Diamb. Dianthus*,
*Coccinell.* āā ℈*ij*,
*Ol. Roriſmar. Ch. gtt.* X
*Syr. de quinque Radd. q.s.f.* Electuarium.

vel *Pulvis* ſequens,

℞ *Salis*

℞ *Salis vol. Succin.*
*Pul. N. M. a ā gr.V,*
*e Chel. S.*
*Teſt. Ovor. ā ā ℈ß,*
*Sacch. cryſtall. ℈j f Pulvis.*

Sumatur *Elect.* ℥ *j*, vel *Pulvis*, ex *Teæ* Hauſtu, ter in die.

HORUM uſu remediorum, maxime ſi a victu ex Carne & Cereviſia, (ſuffecto in ejus locum *Juſculo avenaceo*, *Pane biſcocto*, & iſtiuſmodi tenuibus) æger abſtineat, raro diu dolet.

Sin nihil hæc contulerint, e re futurum arbitror adhibere ποδαγεκαγωγὰ, eorumque ope Materiam ad Articulos expellere, ibique figere: quam ego medendi viam non incommode ſæpenumero calcavi. Enimvero longe ſatius eſt, id quod alienum pugna forti & decretoria ad τὰ ἄρθρα fugare, itaque Oeconomiæ pacem reſtituere, quam hoſtem in ſanguine diu fovendo, bellum extrahere.

CAP.

# Cap. IX.



## *Curatio Symptomatum.*

Symptomatum recensio.

Symptomatum *Arthriticorum* alia locum habent in Paroxysmo; alia in ejus vacatione. In Paroxysmo sunt *Cardialgia*, *Febricula*, *Dolor*, *Inflammatio*, *Vigilia*. Extra illum Δυσορεξία, Ανορεξία, Tumor Pedum Aquosus, Hydrops, Tofus, Ulcera, Gelatina Articulorum Tabes cum Marasmo, Læsa imaginatio, Pruritus & Exuviæ Cuticulares, Claudicatio, Crepitus Ossium, Tetanos, Languor & Lipothymia, Diarrhœa, Vomitio Nigra, Gangræna: de quibus singulatim.

I. *Car-*

## I. *Cardialgia.*

1°. *Cardialgia.*

NOTARUNT aliqui βελιμίαν, ſive *Famem Arthritidis* Paroxyſmo *caninam* præcurrere; καρδιαλγίαν, quæ a cauſa non abſimili cum *Fame* oritur, huic præmitti plus ſemel * obſervavi. Nec cui mirum hoc videbitur, qui *Arthritidem* a Reliquiis δυσπέπτοις magnam partem oriri conceſſerit. Hæ enim, acri ſale ſcatentes, ad faciendam *Cardialgiam* imprimis aptæ ſunt. Placet *Oc. Canc. pp. Cretam, & Pul. e chel. ſ.* æqua pondera miſcere, & ad ℈j, quarta, quinta, vel ſexta quaque hora, ex *Julapio Cretaceo*, dare: Poteſt *Pulvis* cum *Conſ. Abſ. Rom.* ℈j, Oc.C. ℈ß; Ol.Cin.Ch. gtt j, & Syr. Z Z q ſ *Boli* forma exhiberi. Sedulo interim a Cereviſia abſtinendum, ſubſtituto in ejus locum, aut *Decocto albo*, aut Aqua fontana, pane toſto tepefacta, cum momento vini.

## II. *Febricula.*

2°. *Febricula.*

MIASMATIS *Arthritici* e Sanguine expulſio raro ſine *Febricula* quadam unquam, nonnunquam cum vehementi perficitur; quæ intra ſuos limites quamdiu ſe

* Diſſ. III, C. II, H. XI.

con-

contineat, tamdiu ut neceſſaria æquo animo ferenda eſt: ſin immodica graviter affligat *Arthriticum*, & Æſtum, Sitim, Vigiliam, aliaque hujuſmodi mala adferat, huic Symptomati, Morbi nomen & ἦθος affectanti, artis erit medicinam facere, aptam, ejuſque mori accommodatam. Nihil ei magis adverſatur, quam ſanguinis miſſio, ſed modica quantitate, & aliquanto poſt Enema blandum exacte Saccharato injiciendum. Cavendum autem, ne Frigidis Acidiſque, ut in aliis Febribus quamplurimis, temere ingeſtis, Stomacho fiat injuria, (quod plus ſemel non ſine ſummo vitæ periculo accidiſſe novi) & pro *Arthritide* regulari *Colica* contrahatur *Arthritica*. Contra hanc *Febriculam* multum facit Abſtinentia, præſertim a Carne, Vino, Cereviſia, aliiſque omnibus, quæ Sanguinem exagitent & inflamment: Pane biſcocto, Panatella, Infuſo Teæ, cum iſtiuſmodi tenuibus, eorum vice adhibitis.

## III. *Dolor.*

RARO unquam obſervata eſt *Arthritis* calida ſine Dolore in Paroxyſmo: unam alteramque tantummodo novi (de qua alibi) membrorum gravitate, Articulorum δυσκινησίαι quotannis recurrente, inſignitam, 3°. *Dolor.*

tam, ſed *Doloris* per omnes ejus acceſſiones, expertem. Ut magna ex parte res eſt, *Dolor* omnium *Arthritidis* Symptomatum & frequentiſſimus & multo graviſſimus invenitur; & ab eo præcipue morbus hic in humani generis peſtibus, in malis ejus acerbiſſimis habetur. Res mira eſt, a tam exigua veneni quantitate, tantos & tam acres excitari poſſe cruciatus: Spirituum nempe animalium, quaqua illi longe lateque diffundantur, ἀπαξίαν, ab alieni ne guttula quidem; forſan nec ab ejus parte viceſima. Qui illud fieri poſſit, ut intellegamus, advertere oportebit, quem in modum, Urticæ ſtimulo, vel Animalis venenati morſu, alieni tantillulum in cutim immittente, cum æſtu doloreque permagno, fiat Inflammatio. Idem in *Arthritidis* Paroxyſmo cogitandum eſt. Acre quoddam alienum in tenerrimas infuſum Membranas, earum Fibras erodit, & Spiritus in iis contentos vexat & exagitat: niſi craſſum & γλιχρὸν illud, quod toties dixi, vaſorum Sanguinem ferentium, ubi Diametri eorum minimæ ſunt, tunicas diſtendit, itaque Dolorem infert. In priori caſu, quo magis æger dolet, eo Cauſa venenoſior; in altero caſu, eo craſſius illud craſſum.

ME-

MEDICINÆ veteris *Antiarthriticæ* caput in eo ponitur, ut tollat *Dolorem*; ac ſi Symptoma iſthoc ſit ipſe Morbus. Sed dum in *Dolore* ſupprimendo multa olim adhiberentur, quæ materiam *Doloris* effectricem repercuterent, & in periculum ægroti vitam adducerent, iccirco in uſum trahi non merentur. Ut in re adeo dubia quam tutiſſime procedamus, ea potius *Arthritico* propinanda ſunt, quæ materiam per ἀλαπνολὼ eliciendo *Dolorem* minuant: quem in finem, ut pars affecta Laneis involvatur, aut Folio Braſſicæ contuſo, vel Oeſypo, vel *Emplaſtro e ſeminibus Cumini*, vel *Pleuritico*, quod a Cl. *Fullero* deſcribitur, aliove iſtiuſmodi aliquo materiam evocante, præſertim *Epiſpaſtico*, obducatur, in præceptis eſſe ſolet. Placet *Cataplaſma*, *e Sapone* molli & vitellis ovorum, juncturis applicatum. Item *Epithema* Clariſſ. *Fulleri Saponaceum*. In *Dolore* acerbiſſimo, & dies jam aliquot pertinaci, *Diacodii* ʒiv, *cum L.L. gtt v.* (*ad x*) *ex* Aqq. idoneis, hora ſomni licet exhibere: & pro re nata noctibus alternis tertiiſve repetere. Unum inſuper addendum, in Paroxyſmi Declinatione, vel Statu, *Paregorica* tutius adhiberi, quam in Principio. Nihilominus iis, quæ mitigent Dolorem, minime vero repercutiant, tuto uti licebit.

bit. Horum aliqua ſubjungam.

ANODYNUM *promptum, ait Clariſſ.* Mayernus uſu medico celeberrimus, *fit mica panis albi, cum foliis multis Becabung. Vitellis ovorum duorum, & pauco Croco. In* Ægypto *ſæpius fuit probatum.*

*Rapi ſub prunis coquantur; exprimatur ſuccus, & partibus dolentibus applicetur.* Idem. prodeſt *Frictio* manu molli peracta.

PRÆBET etiam Philoſophia ſolatii non nihil: *Maximus Dolor brevis eſt: Summus Dolor plures dies urgere non poteſt; & dolere quidem interdum eſt neceſſe.*

## IV. *Inflammatio.*

4° *Inflammatio.*

*ARTHRITIDIS* Calidæ, id eſt omnium perfectiſſimæ, Symptoma genuinum eſt *Inflammatio*: qua vix quicquam unquam melioris notæ. Alienum enim ad τὰ ἔξω valide expelli, iiſque penitus infigi, quorum utrumque *Arthritico* bene ominatur, oſtendit. Nunquam magis ſalutaris, nunquam pulchrior *Arthritis*, quam roſeo nitidoque vultu cum appareat. Hic in conſpectum ubi venit, rem ægri ſalvam eſſe probabile eſt.

NIHILOMINUS ita ſæpe fit, ut tam boni ominis Symptoma, tamque propitium, ſua etiam mala interdum habeat con-

conjuncta, nempe Æſtum & Dolorem cum pulſu immanem, quæ plerumque ſomnum & quietem adimunt.

HOC caſu *Arthritici* plurima ſæpe periclitantur. Advolant ex omni parte medici medicæque. Alii pedem aut manum affectum in Aquam Frigidam, alii in Salſam immergi; alii *Cataplaſmum* Inflammationi Frigidum ſuperimponi, alii Emplaſtrum ἀποκρυστικὸν, alii e ſuis (ſcilicet) alia obtrudunt præſentanea remedia; unde retro in ſanguinem Miaſma reprimi, creberrimeque in Caput impelli ſolet. Heu! quota pars *Arthriticorum* ita ſe letho tradidere.

TUTO igitur ut agamus, nihil conducibilius, nihil citius *Arthritico*, ſic afflicto, βοήθημα, quam parti affectæ inflammatæque Hirudinem admovere; ut in Tumore quod inſit alieni ſtatim evocetur. Prodeſt *Epiſpaſticum*, Tumori ſuperimpoſitum, vel prope eum. Huc etiam facit, λαπνολὼ inſenſilem quicquid intendit: ut e Serico vel Laneis involucra. Qui Aquis ardentibus Tumorem madefieri voluere, magno ſuo detrimento ſæpe id fecerunt: præter ſpem Miaſma repercuſſum, ad ea quæ intus ſunt migravit.

## V. *Vigilia.*

5° *Vigilia.* DOLOR & Inflammatio ſæpe faciunt *Vigiliam*, quæ itaque Symptomatum eſt Symptoma. Quoties ingraveſcit, maxime ſi Inquietudine ſtipata fuerit, ægrum male multat, ſpiritus animales impendio conficit. Adverſus eam, Capitis, aliarumque partium non dolentium *Frictiones*, ſive panno, ſive manu molli teneraque peractæ, proſunt. Nihil autem certius efficaciuſque remedium, quam *Diacodii* Doſis exigua, crebro data: *Syrupi* illius ʒß, ad ʒ vj, ex Aqq. idoneis exhibere licet, & quarta quaque hora, ſi opus fuerit, repetere donec ſomnus obrepſerit. Cautio ſit, ne *Vigiliæ* pertæſus æger *Paregoricis* nimium indulgeat; ut ab iis materia πρὸς τὰ ἔνδον acta noxam iis apportet: quod utique plus ſemel effectum novi.

AD ea jam *Symptomata* deſcendo, quæ locum habent extra Paroxyſmum; eaque, quo naſcuntur ordine, pro facultate perſequar.

## VI. Δυσορεξία.

*FAMES* ſic a Paroxyſmo ſæpe læditur, ut hinc *Arthritici* tardior reſtitutio: neque

neque aliter esse potest, in corpore Abstinentia, Dolore, Vigilia, aliisque Paroxysmi malis, dudum enervato debilitatoque, Δυσορεξία tandem aggravato: unde Corpus alimento, sic ut oportet, minime reficitur.

UT Δυσορεξία depellatur, Equo vel Curru foras *Arthriticum* vehi expediet: ita enim exercitatione partim, sed Aëre præsertim *Fames* augebitur. Ante egressum, vel statim ut redierit, æger sumat *Tinct. Stom. cum M.* g^tt XL vel L, ex *Vini albi Lusitan.* hausto. In cibis autem assumendis primum iis se assuescat, qui concoctu omnium sunt facillimi, & paulatim ad difficiliores ascendat. *Chocolata* mane pota, *Ostrea* paulo ante prandium, *Famem* intendunt: uti etiam *Aqua Spadana* cum exiguo vini prædicti. Sin Phlegmate, aliove quovis impuro, Ventriculus oneretur, Catharsi, altera vel utraque id exterminari necessum est, antequam locus iis, quæ *Famem* inferant, inveniatur. 6° Δυσορεξία.

## VII. Ανορεξία.

EST ubi Fames sic attenuatur, ut Ανορεξίαν adducat; qua affecti simul atque Dapes libarunt, ab iis, quasi satiati, abstinent, (unde olim *Tæduli* vocabantur,) vel omni- 7° Ανορεξία.

no nihil appetunt. His utriſque convenit, primo Ventriculum & Inteſtina remediis, quibus uti licet, blandis & idoneis purgare: Deinde, *ſtomachica* valentiſſima ingerere. Prodeſt *Oſtreorum Liquor*, cum vini *Luſitanici* quantitate pari mane hora decima ſumptus: Prodeſt *Pomaceum* noſtrum hora ante paſtum modica quantitate hauſtum. Prodeſt *Electuarii Stomachici*, a Clariſſ. *Fullero* deſcripti, Doſis ℈ij, ad ʒj hora quarta pomerid. Prodeſt *Sal Martis*, cum *Rad. Serp. Virg. pul.* & *Ol. Cin. Chymico*, forma *pilulari*, hora ſomni ſine vehiculo, (ut vires ſtomacho pleniſſime impertiant) demiſſum: Prodeſt Vinum *Burdegalenſe* rubrum, cum *Luſitanico* miſtum, pro re nata potum: Prodeſt propter Aquam, præcipue marinam, Apricatio frequens: Prodeſt Scrobiculum cordis *Emplaſtro* quodam & Aromatibus & Gummi odoratis (*Stomachico* puta *Londinenſium Magiſtrali*) vel Caprina pelle, oleo N. M. ſeu Maceris per expreſſionem illita, munire. Sin his & hujuſmodi aliis Appetentia minime reddatur (neque enim medicinæ deſunt Ενδεχόμενα) paulatim marcet Ανόρεκτος, & poſt tempus aliquod inedia confectus, miſerrime ſupremum diem obit.

VIII. *Tu-*

## VIII. *Tumor Pedum Aquoſus.*

8° *Tumor Pedum Aquoſus.*

IN veteribus *Arthriticis*, craſſis præcipue phlegmaticis & obeſis, durante Paroxyſmo fiunt *Tumores* pedum albi, & læves, qui ultra eum menſes aliquot, atque adeo annos ſæpe complures extenduntur. A Digiti compreſſione foveam accipiunt, quæ lente ad æqualitatem Cutis aſſurgens, Aquam intus eſſe oſtendit; unde non parum *Arthritici*, de *Hydrope* arcendo ſolliciti, terrentur: ſed dum urina copioſa, dum Fames, ſi non optima, tamen laudabilis, dum Sitis & a motu difficultas ſpirandi nulla fuerit, non eſt tantiſper, quod (tanquam malum imminens) *Hydropa* metuamus. Hoc adeo familiare noſtris hominibus Symptoma, ut Idiomate vernaculo [Gouty Legs] idem ſignificet, atque Pedes magni & diſtenti.

A Sanguine in ſerum abeunte, *Tumores* hoſce fieri, certiſſimum eſt: id quod eorum optima curatio confirmat. Optima enim medicina fit per ea, quæ robur & concretionem Sanguini concilient. Prodeſt *Infuſi amari chalybeati* ℥iij, horis duabus medicinalibus exhibere, & hora ſomni *Pilulas*.

℞ *Pul. Gentian. Zedoar. Salis Martis,*
*Chal. Nutriti* $\overline{aa}$ *gr. jjjj,*
*Ol. Abſ. ch* $g^{tt}$ *j,*

*Extr. Cent. min. q. s. f. Pilulæ*, ex Vini hauſtu demittendæ. Horum uſu tantam urinæ vim excerni, tamque ſubito novi Tumores ſubſidere, ut a Diureticis vix unquam magis. Conducit Ambulatio, cum hiſce auxiliis juncta: quare bis vel ter in die ambulet *Arthriticus*, ſi vires ferent, donec incaluerit. Pedum hora ſomni Frictiones, apprime valent, & ſerum in vaſa ſanguinem ferentia reprimunt. Tibialibus craſſis, aut Cothurnis laneis induantur Pedes, ad tuendum augendumque eorum calorem. Quinetiam Aquæ Ferratæ *Tunbrigenſes*, *Aſtropenſes*, *Bantonenſes*, *Liſtonenſes*, adverſus hoſce *Tumores* uſui ſunt eximio: Serum enim quod abundat, una per Renes ſecum auferunt, Famem reſtituunt, Sanguinem inſtaurant: Sed & Vinum ſubinde adhibendum, *album* præcipue *Luſitanicum*. Dum Cibus ſumitur, recte conficitur, & in ſanguinem mutatur, utiles ſæpe ſunt hi *Tumores*, in quos alienum ablegat natura, ſicque Viſcera defendit: ſi deturgeant, id non ſine vitæ periculo fit

ISTAM medendi viam ſi diligenter calcaverit æger, plerumque Pedes ſibi re-

reſtitutos & incolumes habebit: ſi nimium pertinaces hi *Tumores* Femora & Abdomen afficiant, in propinquo *Aſciten* eſſe prænunciant.

## IX. *Hydrops.*

IDEM fere caſus *Arthritici* veteris *Hydropici* atque naufragium paſſi: utrique eorum convenit illud *Zeelandiæ* dictum [*Luctor & emergo.*] Pedes, Femora, Abdomen, atque adeo corpus univerſum aqua interdum obruitur, eique obſiſtere omnino Artis eſt. Super omnia confert, affatim & crebro hujuſmodi affecto, cum *Amaris Chalybeata*, qua licet forma, propinare. Horum uſu vel *Arthritis* ad Paroxyſmum, vel Sanguis ad διάρρησιν excitabitur bonam. Poſtquam dies aliquot iis impenduntur, & Sanguini vires accedunt, *Hydragogo* ad Aquam ano deturbandam, ſi nil vetuerit, uti licebit. Catharſis repetenda, ſi vires ferent, debitis ex intervallis, quoad evanuerint Tumores, & Aquæ quod abundat exulaverit; adhibitis ſemper diebus a purgando vacuis, alterantibus, & exercitatione. Ad urinam hoc caſu ciendam, magnarum virium eſt id, quod ſequitur: 9° *Hydrops.*

℞ *Pomacei & vini albi Luſitan. ā a lbj, Sem.*

*Si-*

*Sinapios* ℈iij, *Cochlear. Milleped. pul.* aa ℈ij, *Coccin.* ℈j, *N. M. pul.* ℈ij, *miſce*, digere igne arenæ, vitro bene clauſo, ad alterationem idoneam; tunc coletur *Infuſum*. Doſis ℥iiij cum Syr. Abſ. S. ʒſs, ſexta quaque hora ſumend.

℞ *Pul. Milleped.* ℈ſs, *cum Sapone Diuretico Matthæi, f. Pilulæ*, mediis *Infuſi* hauſtuum intervallis ſumendæ ex *Julapii* cochl. aliquot;

℞ *Aq. Crithmi* ʒxij, *Pæon. C* ℥iij, *Sp. Junip.* ℥j, *Syr. de quinque Radd. q. s. f. Julapium.*

℞ *Cepas inciſas* ℈vj
*Allii inciſ.* ℈ij
infunde in *Vini albi* lbij, ad alterationem idoneam. Colaturæ adde Syr. Balſ. ℥iv, f. *Infuſum* ſexta quaque hora per vices ſumendum.

SIN nulla in Articulis appareat *Arthritis*, neque copioſius effluat Urina, Tumores vero inaniti brevi tempore repleantur, & ſitim, membrorum imbecillitatem ſpirandique difficultatem habeant a ſatellitio, malum: æger recidivo morbo languet tamdiu, donec

——— δειρῳ τυμβεύετο πότμῳ.

## X. *Toſus.*

10° *Toſus.* EX Gelatina lapideſcente fiunt *Toſi Arthritidis* Symptoma inſigne in ſexu non tantum

tantum maſculino, verum etiam muliebri. Si faciem eorum externam obtueamur; Calcem omnino referunt, & quidem Idiomate noſtro eadem fere voce redduntur. Sin naturam eorum examinemus, ad illam Oſſium & Calculi renalis, quoniam hæc tria ponderis ejuſdem (quod aiunt) *ſpecifici* ſunt, quam proxime accedit. Plures ſimul interdum inveniuntur, iique diverſæ cum magnitudinis, tum etiam formæ, quod in Tumore veteri ad Cubitum Oviformi viſu proclive eſt. Sunt Tendinibus Manuum, & Cuti Capitis piloſæ, (quod a me notatum) impacti. Cutim aliquando paulatim attenuant, aperiunt, & per ſe erumpunt. Tradit, ad *Perſium*, *Iſaac. Caſaubonus*, ſuo tempore, non procul ab urbe *Pariſienſi*, veterem quendam Arthriticum egiſſe [*cujus e corpore* (*exibant autem ex omnibus partibus*) *plus vel exciderat, vel extractum fuerat Lapidum, quam quantum ipſe penderet.*] Talis certe hujus *Arthritici* ſanguis eſſe videtur, qualis Aſtacorum & Cancrorum; ut enim hic in Cruſtam, ita in πώρους ille pene omnis abire ſolitus.

OMNI medicinæ noti fuere πῶροι, *Arthritidis* aſſeclæ; quos ut medici tollant, multas exhibuere paſſim medicamentorum Formulas. Harum nonnullas, uſu probatiſſimas, hic excerpam, & in medium feram.

MUF-

*MUFFETI* hoc ad *Tofos* expertum. In manicam *Hippocratis* injice *Limacum integrorum M.j*; *ſuper hos inſperge Salis com. M.j, Sem. Ebul. trit. M.j*, Stratificentur, & dependeat Manica in cella vinaria humida; brevi liquor pinguis exſtillabit, quem in vaſe plumbeo clauſo optime Soli exponito per dies quatuor; dein linantur partes affectæ hoc *Linimento*.

ALII commendant *Ceratum* molle parti affectæ imponendum.

℞ *Succi Nicotiani* ʒiij, *Ceræ* ʒij, *Reſinæ Pini* ʒiſs, *Tereb.* ʒi, *G. Ammon. aceto ſoluti* ʒij, *Ol. Chamæm.* ʒij, *Eſſentiæ Sulf.* ℈ſs; *f. Ceratum.*

*Rulandus* illitionem *Olei Sulf.* & impoſitionem *Empl. Diaſulf.* multis elogiis commendat: Hoc, ait, ſæpe feliciſſime experti ſumus.

Arrident *Oleum Viperarum* & *Empl. Diagalbani* a Cl. *Bateo* deſcriptum.

*IN Nodis Podagricis ſolve Mercurium ſublimatum, ait Clariſſ.* Mayernus, *in Radice Bryoniæ; exprime Liquorem, qui Lapillos eruit, & cavitates Emplaſtro conſolidandas relinquet.*

VERUM Externa hæc, aliaque omnia, ut libere loquar, etiamſi virorum magni nominis Auctoritate commendata, non niſi caute ſunt uſurpanda: cum ex illorum uſu ſæpe accidit inopinatum aliquod incommodi,

commodi, & ex arte quæ fuere docte ſciteque præſcripta, propter *Arthriticorum* intemperiem in ſanguine notabilem, & partes ſumme debilitatas neque facile tractatas, in pejus cedunt. Maxime vero conducunt in corporibus ſaturatis, & ſucco plenis, neque hæreditario laborantibus, inedia & exercitatio, ut Hiſtoria quarta oſtendetur.

## XI. *Ulcera.*

UL CERA *Scorbuto* & *Hydropi* creberrime, nonnunquam & *Arthritidi* ſuperveniunt: maxime in humida frigidaque conſtitutione præditis, & ætate grandioribus. *Arthriticorum* Ulcera Pedum vel Manuum ſunt præcipue: modo a Tofis male tractatis, modo a Tumore pedum Aquoſo cutim extendente & rumpente, modo ab Epiſpaſticis, modo a Fonticulis, modo ab Ictu, aut in durum aliquod Illiſione, aut alia quadam hujuſmodi cauſa evidente, oriuntur. Sanguis enim, *Arthritico* Miaſmate corruptus, in partem læſam alienum acre immittit, quod eam corrodendo facit *Ulcus.* 110 *Ulcera.*

UL CERA ſunt *Arthriticis* nonnunquam eum in modum utilia, ut vix quicquam magis; ſic, ut etiam *Fonticuli* & *Epiſpaſtica*:

*piſpaſtica*: Materiam enim acrem emittunt, & a Paroxyſmo ægrum magnopere tuentur. Non igitur remediis ſemper egent; id tantummodo curandum, ut malum morem minime acquirant, minime ſint nociva. Quem in finem diligenter attendendum eſt, excrementum, quod ex *Ulcere* emanat, quale ſit. Si album, mediæ conſiſtentiæ illud, & quam minime fœtidum ſit, vix aliud facto opus, quam ut ſæpe abſtergatur hoc, emundetur, & ab aëre defendatur. Sin tenue, fluidum, lividum, malique odoris ſit illud; ſi Oſſium Cariem, Putrefactionem Carnis, ſi Intemperiem Sanguinis, aut Humorum Fluxionem, aliudve quodvis malum comitetur *Ulcus*, Chirurgum accerſiri oportebit: qui ex Arte agens, habita ratione *Arthritidis*, non tam Venæſectione & purgatione, ut in *Ulcere* ſimplici, quam Digeſtivis, Sarcoticis, Epuloticis, & Deſiccantibus utetur. Multum hic conducit *Ulcus*, ſi modo tenuis nimium Ichoris emiſerit, Aqua Calcis vivæ ſæpius lavare. Chirurgi vero ſunt monendi, & iis ſummopere cavendum eſt, ut in *Ulcere* prorſus occludendo, & cicatrice inducenda, lente admodum feſtinent; ne a Curatione tam inepta (quod utique ſolenne) gravius ſuccedat malum. Naturæ propoſito melius reſpondebit,

debit, ſi recta Diætæ ratione inſtituta, modica quantitate ἰχῶρ effluere permittatur; donec *Ulcere* carere potuerit æger. In ſanandis his *Ulceribus Balſamum*, quod in Pharmacopoliis *Exonienſibus* venum datur, cum primis utile eſt.

℞ *Styrac. Calamitæ, Benzoin* āā ℥ij, *Matis Balſamit.* ℥i, *Aloes ſuccotrin. Myrrhæ, Olibani, Rad. Angelic. pul. Flor. Hyperici* āā ℥ ſs; *contundantur, & Sp. Vini lbij in ampullam mittantur; vaſe clauſo digerantur, in MB per octiduum; poſtea coletur* Balſamum, *cui addantur Ol. L. Rhodii q. s. ad odorem gratum. Fiat* Balſamum.

## XII. *Gelatina* Articulorum.

LIQUOR albus, in *Glandulis* præſertim *mucilaginoſis*, a Sanguine ſecretus, & in cavernas articulares immiſſus, ibi crebro lenteſcit & in *Gelatinam* abit. Implentur ea cavernæ, ſic, ut Articuli tumefiant, & motu priventur. Hoc in Manuum & Pedum articulis ſæpe, in Genu & Cubito nonnunquam, in Coxendice omnium maxime obſervatur. Aliquando impotes ſunt iſtius ſortis homines, tanquam manicis & pedicis vincti. Librum aut calamum manu tractare, Pedibus ire, cibum aut potionem capere non queunt: uno aliorum miniſterio degunt. In Cubiti ſummitate, poſt Paroxyſmum, præcipue

12° *Gelatina Articulorum.*

pue in diu vel graviter afflicto, Tumor interdum oritur, hujuſmodi *Gelatina* plenus, Scroto puerili perſimilis, aut ovo nondum expreſſo aëreque indurato: unde eum *Oviformem* appellare ſoleo.

DE hujuſmodi Tumorum medicina, & *Gelatinæ* evocatione, non eſt ut perpetuo ſimus ſolliciti. Quandoque per ſe liqueſcit, & vel in Sanguinem reſorbetur, vel per ἀναπνοὴν inſenſilem emittitur: quamobrem Laneis Sericiſve Tumores involvantur, bene inveſtiantur oportet. Sunt qui Suctione materiam, Inſtrumento ad eam rem artificioſe facto, eduxere; itaque motum aliqua ex parte reſtituere. Caveant autem Operarii, ut Articulum natura frigidum, novo hoſpite læſum, a Gangræna muniant: ideoque *Unguento* calido, quale *Martiatum*, *Aregon*, *Nervinum*, vel *Linimento Arcæi*, cum *Balſamo Peruano*, poſt Fotum *Tinctura Myrrhæ Gentianæque* factum, utantur, & ab aëre ſimul articulum tueantur.

DE *Gelatina* Coxæ commiſſa, & Iſchiada faciente, quando ipſius morbi materia conjuncta eſt, alibi diſſeruimus.

## XIII. *Tabes, cum Maraſmo.*

130 *Tabes.* PLEROSQUE veteres *Arthriticos* exte-

extenuari conſtat, nullos autem magis quam *Iſchiadicos*. φθίσιν Ισχιαδικὴν, id eſt, *Tabem Coxariam*, ut alibi dixi, notavit *Hippocrates*. Ipſammet ego novi ab *Arthritide* Coxam invadente, laceſſente, fieri. Magna vis humorum vitioſorum in hunc articulum infunditur; unde Dolor, Tumor, Febricula, cui tandem Hecticus ſudor accedit. Colliquefacta carne gracileſcit æger, &, niſi βοηθήμασι medicis opportune adjutus fuerit, in diſcrimen extremum adducetur.

FEBRIS Hectica Cortice & Aquis Diureticis ſive *Bathonienſibus* ſive Sti. *Vincentii Briſtolienſibus* extinguenda eſt. Ad Articulum allevandum, & materiam educendam, uſui ſunt *Cucurbitulæ* cum *Scarificatore*, maxime vero *Setaceum*. Vide inſignem hujus παθήματος Hiſtoriam nº. V.

*Tabi* adfinis eſt *Maraſmus*, qui veteres Arthriticos ætate & morbo diu laborantes ſæpe invadit: illum invitante, cum inedia, vel ſucci perpauci nutrimento, veteris penu conſumptione; unde qui olim ἰνοπάρηος, forſan etiam εὐχροῶς cernebatur, jam multum emaciatus ſit, genis ambabus ſe retrahentibus, oculis concavis, & in cavernis quaſi latentibus, pectore depreſſo, abdomine ad ſpinam uſque ſubducto, cruribus macris & petilis inſignitus. Spiritus

una cum corpore ſæpe languent & deficiunt, & ruinam verſus omnia declinant, & aguntur.

Proſunt *Analeptica*, mane ſcil. *Chocolata*, vel cum *Lactis Vaccini exiguo Teæ Citreæ infuſum.* Prandium ex carne molli teneraque, qualis Agnina, Pullina, Vitulina, Ovina, & iſtiuſmodi aliæ. Cœna ex tenuibus eſto, OEnogala puta, cum vini & Lactis paribus menſuris, *Ovum ſorbile*, *Battata*, &c. qua ſcil. Diæta ſanguis ſuſtentetur, & non inepte reficiatur.

## XIV. *Læſa Imaginatio.*

14°. *Læſa Imaginatio.*

ARTHRITIS, ac ſi in Corpore laceſſendo minime crudelis, Animum etiam affligit. Notiſſima eſt Hiſtoria a *Carteſio* tradita, digito cujuſdam graviter adfecti, & dolore cruciati, non minus eo præciſo dolentis: unde conſtat, non tam in parte læſa, quam in Cerebro Dolorem ſentiri, ejuſque ſenſum exciſa parte adfecta in Cerebro manere. Ex *Arthritide* dolentium aliquando par ratio eſt. Medios inter ejulatus & querimonias, fuere qui, ſermone alia de re illato, e Sella protinus exilientes, huc illuc, obliti *Arthritidis*, tanquam immunes, ambularunt.

IN

IN hujuſmodi Morbo medicina mentis utiliſſima eſt. Æquo animo naturam mali perpendat æger, neque quod per ſe moleſtum, inani metu, terrore, vel opinione, reddat deterius. Profecto plurimum valet hæc medicina, & in Morbo non tantum eo, de quo diximus, verum etiam aliis aliquam multis, fructum & emolumentum præbet pluſquam mediocre.

## XV. *Pruritus, & Exuviæ Cuticulares.*

CUTIS ab *Arthritide* ſunt *Exuviæ* non unius generis; primum, ab Inflammatione corrugata pelliculam deponit albam, & in Digitorum Articulis tenuem, in Pedibus craſſiorem. Certe non tantum Articulos, verum etiam plantas pedum univerſas, a Paroxyſmo Arthritico, cuticulam exuere novi, & pedum inde teneritudinem miram, & ad ambulandum impotentiam afferri. At aliud genus *Exuviarum* eſt, quod in Dorſi Spinæ cernitur regione. *Squamulæ* decidunt multo cum *Pruritu*: hoc autem in ætate grandioribus & ſanguine ſupra modum ſalſo donatis. 15° *Pruritus, & Exuviæ Cuticulares.*

NIHIL his utilius, quam Dorſi Fricatio, veſpere cum Linteo craſſo peracta. Placet eadem in Balneo Crucis, quod *A-*

*quis Calidis* visitur; in Balneo scil. tepido & miti, ad horæ dimidium; nec quidem ultra. In casu priori nihil aliud opus, quam ut partes teneræ involucris aptis & mollibus ab aëre defendantur.

UNUM minime prætereundum, quod, ut materiam *Arthritida* committentem, ubique venenosam esse pronunciavi, hoc ab *Exuviis* hisce non parum confirmetur: quæ venenum à sanguine in Cutim expelli, ab omnis ævi Medicis, arguere judicantur.

## XVI. *Claudicatio.*

16° *Claudicatio.* VARIIS de causis claudicant *Arthritici*; nunc a Dolore; nunc ab Inflammatione, nunc a Tofis, nunc a Tumore Pedum Aquoso, nunc ab Ulceribus, nunc a Miasmate musculis pedum impacto. *Claudicatio*, quæ a Causa profluit nuperrime dicta, (quoniam de aliis alibi) jam dicenda. Dari vero illam vel eo constat, quod *Arthritici Colica* tentati, tamquam immunes, & Pedum omnino compotes, statim obambulent; Miasmate scil. quod Musculos Pedum occupaverat, contraxerat, & ad faciendum motum ineptos reddiderat, ad Intestina translato: unde partes illæ jam relaxatæ, & alieno liberatæ, gressui de integro inserviunt.

HÆC

HÆC hujuſce mali Ἀπολογία non parum a Curatione confirmatur: Nihil enim hujuſmodi *Claudicationem*, uti mihi videtur, efficacius tollit, quam *Aquæ Diureticæ*; quæ diu potæ ſpurcitiam & ſordes *Arthriticas*, vaſa obſtruentes capillaria, paulatim abluunt, ægros ad capeſſendum motum habiles & idoneos reddunt. Nonnulli hac in re commendant, & multis laudibus efferunt Aquam Reg. *Hungariæ*, quam tamen alii non ſine magno ſuo cum malo periclitati ſunt. Cutim enim & tendines contrahit, ut, ne intro virus impellat, ſit quod timeas.

## XVII. *Crepitus Oſſium.*

UNIUS Scorbuti Symptoma hoc eſſe nonnulli exiſtimarunt, quod tamen & Arthritidi competere res eſt exploratiſſima: * locum autem habet & in Genu, & in Humero, aliiſque grandioribus Articulis. In motu Muſculari ſe mutuo defricant oſſa, ſimulque ſonum ex articulorum arididitate edunt, qui ipſis nonnunquam ægrotantibus incutit terrorem: † quod maxi-

17. *Crepitus Oſſium.*

* Hiſt. 8. † Nihil autem ab hoc Symptomate periculi, nec quidem moleſtiæ, ſi unum excipias terrorem: quod &c.

mum *Arthritici* ſolatium, quando in iis ſublevandis quod vel minimum valeret, equidem ignoro. Adeo remota & in ſeceſſu corporis intimo mali hujus ſedes eſt, ut Medicamentorum vim eludat omnem: ſi quid auxilii ſperandum, id ex Aquarum uſu Diureticarum maxime probabile, quod tamen experientiæ fide non a me prolatum.

## XVIII. *Tetanos.*

18° *Tetanos.* SATIS ab aliis declaratum eſt, quali gaudeat *Tetanus* Ætiologia, motu nempe Spirituum in hoc vel illo muſculo animalium, ob alienum aliquod eos ſtimulante & in motus hoſce inconditos adigente. Unicum reſtat obſervandum, non deeſſe *Arthritidi*, quod in hac re multum efficiat acre & pungens, quod nervos ſtimulet & ſpiritus eorum incolas abunde vexet irritetque.

Ut quietem illis conciliem & turbas compeſcam, muſculum affectum ſpiritu Lavendulæ Comp. madefactum perfricari, Laneo eodem ſpiritu imbuto involvi, vel Aqua Reg. Hungariæ cum Sp. vol. ol. foveri jubeo.

XIX. *Lan-*

## XIX. *Languor & Lipothymia.*

19° *Languor & Lipothymia.*

IN *Arthritide*, diro Symptomatum ſatellitio ſtipata *Languores* eſſe minime novum, ſed e contrario quod uſu venit, exiſtimandum eſt. Spiritus animales Dolore, Vigilia, aliiſque præter naturam accidentibus fatigati & tantum non oppreſſi, ſubſidunt, & ſupra modum adfecti deliquium patiuntur.

IN *Languoribus* opus erit Cardiacum aliquod exhibere, *Vinum puta Luſitanicum album, Rad. Serp. Virg. Croco, Cort. ext. Aurant. & Fruct. Cubeb. alteratum, vel cum Macere, NM. vel Cinamomo uſtulatum*: mirifice prodeſt *Aq. Exonienſium Hibernica*, (*ſive* Uſquebach.) *Quin & Sp. C. C. ſuccinat. guttæ aliquot, ex vino Canarino vel Zereſenſi plurimum valent.* Uti Liquida citius auxilium præbent, ita Solida diuturnius: quare ℞ *Flor. Salis Armon. Spec. Diatriæ Piper. Chal. Nutr.* āā *gr. V. Ol. Rutæ ch. q. s. f. Pilulæ*, vel forma *Boli ℥ℨ ex Indiis Cond. pul. Zedoar. Spec. Dianthus ad gr. X, Ol. Roriſmar. ch. gtt j Syr. Aurant. q. s. f. Bolus*, ſumat alternis *Bolum* & *Pilulas* quarta, quinta, vel ſexta quaque hora ex Julapii Cardiaci ſeu Vini Hauſtu.*

---

* Hiſt. 16. 20.

## XX. *Diarrhœa.*

20° *Diarrhœa.* SEQUUNTUR alia tria Symptomata, *Diarrhœa, Vomitio nigra* & *Gangræna*, quorum prius vitæ, reliqua mortis ſunt indicia. Cum diu ſe domi continuit ex Paroxyſmo Arthriticus, itaque alvum aſtrinxit, magna vis ſtercoris in fiſtula Inteſtinali hac quiete cumulatur, quæ demum ano expreſſa facit *Diarrhœam.* Sæpius in die deſurgit æger, materiam aliquando bilioſam ejicit; nec quidem incommode; levatur enim: unde id tantummodo ei curæ, ut, ne ſit nimia *Diarrhœa*, caveat; ideoque Cibos difficiles & ineptos, Cereviſiam, Frigus, aliaque cuncta, quæ ventrem moveant evitet. *Decoctum album*, aut Aquam fontanam, cum cruſta panis incocta, addito uſus tempore vini rubri momento, bibat: veſcatur *Panatella, Juſculo Oryzato*, & (ſi opus fuerit) *Diaſcord.* & *Conſ. Fruct. Cynosbat.* ā ā ℥j ſubinde ſumat.

## XXI. *Vomitio Nigra.*

21° *Vomitio nigra.* *VOMITIO Nigra* eſt nonnunquam materiæ, quæ a veteribus *aduſta Bilis* appellata eſt. Raro in conſpectum venit hoc Symptoma, niſi in ſummo vitæ diſcrimine,

crimine, & ſub ejus exitu. Aliquot anni ſunt, cum vir eximius apud nos ætate & *Arthritide* confectus, ſupremum diem obiit. Paulo ante obitum, moles erat in Abdomine tamquam mulieris Fœtum in utero mortuum gerentis. *Vomitio nigra* (proculdubio ab Inteſtinis *Sphacelo* affectis) ſucceſſit, & deinde mors. Nihil hic opus medicina, niſi velimus τ νεκρὸν ἰατρεύειν.

## XXII. *Gangræna.*

22° *Gangræna.*

IN *Arthriticis* ætate ſive morbo multum abſumtis, locum habere ſolet γαγγραῖνα, nunc ab Ulceribus male tractatis, nunc a Fonticulorum apertione, aliiſve cauſis evidentibus, quæ Cuti faciant injuriam. Sanguis enim, qui valetudine proſpera, verus atque integer, vulnerum labia facile contrahit & conglutinat, ea jam adverſa & ſenecta ingruente corruptus, hiſce rebus impar redditur: unde levi de πρόφασι, Cutis primo rubicunda, vel pallida, mox livida, deinde nigra evadit; cum ſenſu primum imminuto, dein abolito; cui plerumque ſuccedit Mors, ultima morborum incurabilium medicina.

NIHILOMINUS in re adeo anciti, non eſt, ut, tanquam ea conclamata,

ta, ſpem omnem abjiciamus. Habet natura vires ſæpe reconditas & latentes, ſupra modum magnas; quæ, medicamentis apte & conſtanter adhibitis, operantur egregie, & quidem proſpere. Quare extra *Fotus* adhibeantur, ex Herbis & Seminibus calidiſſimis, Cereviſia veteri incoctis, addito Colaturæ uſus tempore Spiritu vini. Fotus etiam ex ſtupis vino Canarino immerſis. Alias admoveatur *Emplaſtrum* calefaciens. Ore ſumantur ea, quæ vires ſuſtentent & tueantur: de quibus infra fuſius in exemplo ad hanc rem adducto.

# Cap. X.

## *Prophylaxis Arthritica.*

### I.

*Prophylaxis occurrit Cauſis Antecedentibus & Procatarcticis.*

Hæc Curationis *Arthriticæ* pars occurrit morbi hujus Cauſis tam Antecedentibus, quam Procatarcticis; & pro earum diverſitate varianda eſt. Antecedentibus occurrit inhibendo Miaſma *Arthriticum*, ne in Sanguine cumuletur, neve cumulatum in eo diutius ſervetur; Procatarcticis obviam it, dum in Sanguine ſervatum Miaſma, ne in Paroxyſmum erumpat, omnes ejus προφάσεις antevertendo, prohibet: de quibus ſingulatim.

II. PRI-

## II.

PRIMO antecedentes Cauſæ remotiores ſunt attendendæ, & Janua, ſive extremi aditus, contra hoſtem adeo peſtiferum occludendi. Qui ab illo ſe ſuoſque ſerio & maximopere tuebuntur, in Matrimoniis contrahendis morbi hujus, ſæpe Hæreditarii, rationem habere volunt: ſed pudet dicere quam parvi æſtimetur ὑγίεια πρεσβίζα μακάρων, & quorſum mortales abripiat nunc honorum, nunc divitiarum amor. Nollem aſperius aliquod proferre, ſed dum ii de Gallorum, de Equorum, ne dicam Canum Subole, quam de ſua, magis ſunt ſolliciti, annon illorum progeniem ſuæ præferre cenſeantur? Qui ortu infelices, jam inde a cunabulis, ſunt contaminati, eos per omnem ætatem optima rectiſſimaque vitæ norma uti oportebit. In prima Infantia, a Nutricibus, infido hominum genere, pro alimento venenum ſæpe propinante, ſedulo defenduntor: ne ad labem hæreditariam, a Lacte venenato, ſive alias inepto, gravius accedat malum. Eorum Catarrhi, Achores, reliquique omnes morbi, qui e Sanguine alienum amoliuntur, curioſe obſerventor; nec ad eorum perniciem ſupprimuntor.

*Arthriticorum gnati ut educentur.*

Pro

Pro ætate, crebro & multum eorum Corpora exercentor; Aere aperto & puro fruuntor. In Juſculis aliiſque ſorbitionibus, Aqua limoſa, paluſtri, craſſa, aliaſve mala, tamquam peſtilente, & morborum generatrice, utpote eorum ſeminum ἰχήματι, poſthabita, non niſi probatiſſima, fontana ſcilicet, jugi, vel pluviatili utuntor.

## III.

*Ut Arthritidi a Sanguinis Dyſcraſia,*

ARTHRITIS iſta, quæ a ſanguinis Dyſcraſia capit originem, optime cavetur obſervatione juſta exactaque ſex rerum non naturalium; maxime vero omnium idoneo victu, & exercitatione: quorum prior ſanguinem, perpetuo ſeſe effundentem, inſtaurat, ejuſque defectus novis acceſſionibus ſupplet; poſterior, ut eæ cum ſanguine penitus commiſceantur, & in eum mutentur, facit magnopere.

*a Lacteis nimis hiantibus,*

LACTEORUM ora nimis hiantia in cauſis antecedentibus *Arthritidis* eſſe, ſupra declaravimus. Eorum iſthoc vitium aſtringentibus, ut *Myrrha*, *Terra Japonica*, *Sanguine Draconis*, *Succo Acaciæ*, maxime vero *Martis Sale* corrigitur. Poſſunt autem illa cum Aquæ Chalybeatæ (qualis apud nos *Bamtonenſis*, & *Tunbrigenſis*, valentis

lentis ſcil. & Ferro abundantis) uſu, quantitate non nimis larga, in medendi methodum complicari.

## IV.

*a materia in Sanguine aliena,*

UT ad iſtas antecedentes cauſas tranſeamus, quæ materiam præbent alienam in Sanguinem per hæcce Vaſorum Lacteorum ora tranſeuntem, horum in numero primum *mali generis Potulenta* ſunt enumeranda, & ſtudioſe fugienda: *Cereviſia nempe cruda*, neque ſatis cocta, quæ diuturnitate ſanguinem corrumpit, ſic, ut vix quicquam unquam magis. Cereviſiæ bene coctæ *ſummitates Hæderæ terreſtris*, ſeu *Phyllitidos*, ſiccatæ addiderim, in potionem ordinariam.

HIS adde *Spiritus ardentes*, qui tamen etſi nautis, militibus, aliiſque qui ſub dio multum exercentur, utiles ſint, vitam agentibus urbanam, & præcipue ſedentariam, ita ſunt noxii, ut ab iis quam pyrio pulvere, plures quotannis occidi, facile judicaverim. Ab hac creberrima *Arthritidis* cauſa caveant neceſſe erit omnes, qui ab ea ſe ſuoſque tutos præſtare ſtuduerint.

*ab intempeſtiva potatione,*

VITETUR inſuper intempeſtiva Potatio, ſive nocturna fuerit, ſive matutina, quæ

quæ ad invocandam *Arthritida* magnopere conducit.

## V.

AQUA porro & Aër ille vitetur, qui *Arthritidi* advocandæ proclivis ſit. Næ illa maxima ſunt habenda, quæ pro Salutis, pro vitæ præſidiis, morbos & mortem inferant Elementa. In domibus ſtruendis, in ſedibus eligendis, eorum maxime ratio tenenda eſt. Aqua illa præcipue conducibilis eſt, quæ nullis inquinata ſalibus ineptis, neque Petrificationi favens, blanda, lævis, pura, cum Sapone cito miſcetur, & Teæ virtutes cito extrahit. Hoc enim Ἄριστον μὲν ὕδωρ. Ex Aquarum, quæ nobis ſunt in uſu quotidiano, bonitate, maximam partem res ſalutis ſe habet, ut ea eſt, proportione. Qui ex loci infortunio earum impuritate ſe gravatos habent, illis commodum erit Aquam pluviatilem, quantum poſſunt, in communem uſum trahere, & Infuſiones, Juſcula, Cereviſiam, omneſque Sorbitiones ex illa fieri curare. *ab Aquæ & Aeris malitia.*

## VI.

QUONIAM vero *Dyſpepſia* videtur eſſe cauſa Arthritidis omnium frequentiſſima, *a Dyſpepſia medeamur.*

sima, ad eam prævertendam cura opus est quam maxima. Cibi non nisi coctu facillimi sint, ut *Caro Vitulina Agnina, Lepusculorum, Porcellorum, Phasianorum, Gallinaginis, Scolo-pacis.* E Piscibus sumantur *Cammarus, Gobio, Cuculus, Astacus, Cyprinus, Scombrus, Mugil, Perca, Lucius, Passer maculosus, Rutilus Fluviatilis, Solea, Leuciscus, Squilla, Tinca, Rhombus, Asellus mollis, Sardina.* E Regno Vegetabili *Cinara, Asparagus, Hordeum, Faba, Anagallis aquatica, Brassica capitata, Pastinaca tenuifolia, Phaseolus, Lupinus, Urtica, Avena, Oryza, Sagoe, Pastinaca, Pisum, Salvia, Sisarum, Spinachia, Tanacetum, Rapum, Triticum, Freti Sabriniani Lichen,* & boni succi ejusmodi alia, quibus arte coquinaria sic paratis ut grata fiant stomacho, *Arthriticorum* hac in regione mensæ apte possunt, ut opinor, exstrui.

*Dietæ ratio, qua Cibi,*

CIBI vero capiendi mensura, & tempus omnino respiciendum; illa, ne sit nimia; hoc ne intempestivum. Famem minime Cibi quantitas excedat, ne stomachus aggravetur: neque semper ei respondeat, aut æqualis sit. Lautius *Arthriticorum* Prandium, Cœna modica esto.

## VII.

*qua Potionis.*

POTIONIS res aliquanto difficilior est:

eſt: omni mane placet *Teæ*, ſive citreæ ſive viridis, ſive *ſummit. Salviæ* tenuifol. infuſum, ad lbſs, Saccharo cryſtallino dulcatum, cum, vel ſine Lacte vaccino, haurire. Hora ante prandium, *Tincturæ Stomach. cum Myrrha*, gtt XXX ad XL, ex vini albi Luſitanici Hauſtu. Quibus arridet Cereviſia, iis in potionem ordinariam tenuis ſit, defæcata, lenis, non nimiæ ætatis. At e noſtris hominibus nonnullis adeo non prodeſt Cereviſia, ut ab ea, præſertim ab Alla, plurimum lædantur *Arthritici.* Hi ſepoſita Cereviſia, quæ Paroxyſmum *Arthriticum* infert, Aquam fontanam pane toſto calefactam cum momento vini impune atque adeo commodiſſime potant. A prandio locum habeat vini rubri Luſitanici ſive Allæ hauſtus.

COCTIONEM promovet in ſenioribus, poſt prandium ſomnus; ſed in Sella, potius quam grabato. Multum ad Dyſpepſian, uti ad Famem confert Aëris externi, cum leni corporis exercitatione, uſus; quare *Arthriticum* a meridie vel bis in die, ſi erit ſudum, Equo vel Curru apricari ſuadeo. Multum etiam confert, ut idem mature lectum petat, & cubitum turus *Vini Rubri Luſitanici* hauſtum bibat. *Somnus pomeridianus.*

## VIII.

*Vinum Arthriticis quibusdam utile,*

DE *Vino* & *Pomaceo*, quatenus *Arthriticis* exhiberi debeant, multæ solent esse disputationes. Utrumque, quatenus juvabunt, oportere dari, nulla potest esse dubitatio. Juvabit *vinum*, sic, ut nihil magis, modice potum a prandio, & hora somni. Coctionem enim perficit, cruditates corrigit, & cibum in nutrimentum mutat. Vinum autem quod præ cæteris commodum hac in re observavi, *Rubrum* est *Portense*; illud nempe quod purum, & generosum est: stomacho enim pergratum, a Flatu, Ructu, aliisque δυσπεψίας indiciis eum tuetur, & immunem reddit. Ætate media sit oportet, novum enim sanguine facit orgasmos, vetus sæpe austerum est. Vinorum mediam ætatem olim commendavit * *Dioscorides*, verbis utique notatu dignis.

## IX.

DE *Pomaceo*, nostrorum hominum de-

* Οἶνοι οἱ μὲν παλαιοὶ, νοσήρων βλαπτικοὶ τῆς τε λοιπῶν αἰσθητηρίων. — ὁ δὲ νέος ἐμπυρευματικός — ὁ δὲ μέσος τῆς ἡλικίας σκληφρύνει τὰ ἀμφότερα ἐλαστώματα, ὅθεν σκληρίτης ἐστὶ, ἐν τε ὑγείας, καὶ ἀσθενείας χρήσιμος. Lib. V. Cap. VII.

licio,

licio, & indigena Vino, cogitandum eſt, nihil ad Famem conciliandum illo eſſe efficacius; ſed modica quantitate hauſtum, hora una vel altera ante prandium. Contra, immodice potum *Arthritida* illud ſæpe inferre. Liquoribus hiſce Vino & Pomaceo, uſus tempore commiſtis, vix quicquam unquam gratius ſalubriuſve novi. *us & Pomaceum.*

HORA poſt prandium altera vel tertia, nonnullis utile eſt *Teæ* vel *Salviæ Infuſum* bibere, aliis *Coffee*. Sibimetipſis proſpicere, & in rem ſuam agere, quæ proſunt amplectendo, quæ obſunt evitando, mortalium cuilibet in officio eſt.

## X.

QUI *Dyſpepſiis* ſæpe affliguntur, iis commodiſſimum erit Εκκοπρωτικὸν omni menſe vel ſæpius demittere: *Rheum* puta in pulverem redactum, vel *Pilulas Stom. cum G.* ea quantitate, quæ ſemel bis alvum moveri fecerit: Ita reliquiæ Δυσπεψίας impuræ ano ſubducentur, nec in Sanguinem ad eum inquinandum inferri permittentur. Pari inſuper ratione prodeſt *Arthriticis* vaccarum urina paroxyſmorum intervallis hauſta, quæ ſimul ſemelque purgat inteſtina ſalibuſque Famem conciliat. *Decoctum* ſequens ad eundem uſum *Arthriti-* *Εκκοπρωτικα crebro adhibita, Dyſpepſiis occurrunt.*

*co* mihi familiari, magnum attulit momentum,

℞ *Rad. Oxylap.* ℥j
*ſum. Taraxaci, Cochleariæ, Salviæ,*
*Naſturtii Aquat.* āā ℥ß. *Coq. in Aq. font. vel ſeri Lactis lbjß, ad lbj; Colatura Syr. de quinque Radd. dulcata dieculæ ſpatio ſumatur, & in menſem ita continuetur, ut bis vel ter in die moveatur alvus.*

## XI.

*Alienum in Sanguine cumulatum eluunt* Aquæ Bathonienſes & Briſtolienſes, &c.

ALIA *Prophylaxeos Arthriticæ* pars eſt, quæ operam dat, ut quod in Sanguine congeſtum eſt Miaſma, tempori foras amandetur, nec in Paroxyſmum evehi ſinatur. Nihil hoc caſu conducibilius, quam Aquarum *Bathonienſium*, aut Sancti ad *Briſtoliam Vincentii* Potatio. Ut ea recte peragatur, primo Ventriculus, Catharſi altera vel utraque, purgetur, tum Aqq. prædictarum lbſs, hora ſexta vel ſeptima matutina hauriatur; omnique deinde horæ quadrante vel dimidio repetatur ad quatuor vices, id eſt lbij. Hora nona vel decima *Teæ* Cyathus abſorbeatur. Hora ante prandium *Tincturæ Stomach.* cum M. g ‟ XXX ad XL vel L, ex *Vini albi Luſitanici* hauſtu ſumantur. Prandium ex Cibo concoctu facillimo ſit. Potui detur Aqua præ-

prædicta cum Vini Rubri quantitate ea, quæ Ventriculo ad Coctionem opus fuerit. Hora quarta pomeridiana *Confectionis* ſumat ℈ij ad ʒj, ſuperbibatque *Teæ*, *Vini*, vel *Aquæ* hauſtum. *recte*

℞ *Conſ. Abſ. Rom. Cort. Aurant. Cond. Rad. Zedoar. pul. Specier. Dianiſi aa* ʒij *Ol. Roriſmar. ch.* gtt X, *Conf. Alk.* ʒij *Syr. Garyoph. q. s. f.* Confectio.

Hora ſomni *Pilulas* ſumat ex Vini hauſtu

℞ *Balſ. Gilead.* ℈ß
*Salis Martis gr. iij,*
*Pul. Milleped. q. s. f.* Pilulæ:

vel in Frigidis Conſtitutionibus

℞ *Balſ. Peruan.* ℈ß
*Pul. Rad. Serp. V. q. s. f.* Pilulæ.

℞ *Millep. Siccat. & pul.* ℥iij
*Pul. N. M, G. Junip. a a* ℥ij
*Coccinellæ* ℥j, *digere in Sp. Juniperin. q. s vitro, probe clauſo ad ſaturationem uſque. Coletur* Tinct. Anti-Arthritica. Doſis gtt XX ad XXX, vel XL, ex Teæ *Citreæ Hauſtu poſt Aqq. prædictas ter in die.*

## XII.

METHODUS hæc ad menſes binos obſervetur, imo tametſi Paroxyſmum agere conetur *Arthritis*; Conatus enim illi breves eſſe ſolent & languidi, nec qui

methodum interrumpi poſtulaverint: prout urget *Arthritis* annis ſequentibus repetatur. Nulla enim melior, nulla morbi naturæ accommodatior, quam per Renes Miaſmatis, & quidem his vel hujuſmodi Aquis, expellendi via. Valeant igitur & procul arceantur, contra *Arthritidem* quæ vocantur *Specifica*, donec uſu & experientia confirmabitur eorum virtus. Nobis utique, quamvis ob humani generis bonum nihil iis deſideratius videtur, ut verum fatear, nihil unquam iſtiuſmodi occurrit. Utinam Deo O. M. bonorum omnium datori videretur, humanæ miſeriæ hac in parte ſubvenire. Interea temporis gratulemur nobis *Aquis* adeo blandis, benignis, & uſu probatiſſimis, quibus ex arte adhibitis *Arthritida* multum impugnari debellarique, paroxyſmos ejus & rariores & mitiores reddi compluries novi. Sed quoniam Aquas haſce *non cuivis homini contingit adire*, earum vicem quodammodo ſuppleat *Infuſum Teæ* omni mane ad libram circiter epotum; quod Miaſma per Renes paulatim eluet. *Decoctum Corticeum* * ſimplex, ſeu † *Martiatum*, quale jam nunc præcipio, non uni *Arthritico* pro-

*diuque potæ,*

*ut & Infuſum Teæ.*

* D. III. Cap. X, Hiſt. VI. † D. III, Cap. VII, Hiſt. I.

fuiſſe

fuiſſe novi, in Paroxyſmorum intervallis ſumptum.

℞ *Cort. pul.* ℥*jß, Limaturæ Ferri* ℥*ſs. Coq. in Aq. font. lbviij, ad ij. Doſis* ℥*ij cum Aq. Pæon. C:* ℥*ß, ter in die per menſem.*

## XIII.

SUNT qui multum a *Ptyaliſmo* expectavere, ſed quantum ego perſpicio, fruſtra. Novi *Arthriticum*, fortem & athleticum virum, qui graviter afflictus, *Ptyaliſmum* ultro ſubiit, ſed non ſine medici conſilio præceptiſque: Salivam ille copioſe menſes aliquot excrevit, ecquo eventu? Intra annum acerbiſſime doluit, & paucis inde poſt annis *Arthritide* periit.

*A Ptyaliſmo nihil expectandum.*

## XIV.

NONNULLIS uſui fuit, ut occurrerent *Arthritidi*, purgatio; (quibus ſcil. illa toleratu facilis) & ubi paroxyſmum ab ea citandum non eſt ut metuamus, idonea. Rara fateor hæc conſtitutio eſt, ſed quæ aliquando reperiatur. Plus ſemel novi, purgatione crebra & copioſa, vere & autumno facta, ano miaſma ſubduci & Paroxyſmum anteverti. Optime hoc perficitur primum movendo ventriculum, deinde alvum.

*Purgatio nonnumquam utilis*

℞ *Rad. Emet.* (*Ipecacuan. dictæ*) ℈iv *coque in Aq. font.* ℥v, *ad ij*; *Colaturæ adde Syr. Viol.* ℥ß, f. Vomitorium, cum posseti q. s. dandum. Hora somni *Paregoricum.*

℞ *Calom. quinquies sub.*
*Pul. C. C. C.* ā*a gr. XV.*
*Syr. de Ros siccis* f. Pilulæ præparantes.

℞ *Extr. Eustach.* ʒß
*Pil. e duobus gr. V, ad X,*
*Balsam. peru.* q. s. f. Pilulæ purgantes.

*Quem in modum adhibenda.*

sumat *præparantes* sera nocte biduo post vomitionem, *purgantes* mane sequenti cum custodia. Quarto quoque die repetatur purgatio, ad vices sex vel octo. Si sputum excitabitur, omitti par est *Calomelas*, aut vicibus tantum alternis adhiberi: si Dolor occœperit articularis, abrumpenda est Purgatio; ne Miasma (veluti crabrones) nimis irritetur: nisi forsan ex eo, languido & exiguo, spes fuerit, illud repetita purgatione posse non inepte exterminari.

PROFUIT interdum *Arthritide*, præcipue vaga laborantibus, ad *Prophylaxin*, hujusmodi *Decoctum*, per menses quatuor vel quinque hyemales sumtum.

℞ *Ras. C. C. C.* ℥v
*L. Sassafr.* ℥ij
*Cort. ejus pul.* ℥j
*Coccinell.* ʒj, *misce, coque in Aquæ pluviæ*

*viæ lbxij, ad IV. Colatura totidem ampullis ſecludatur.*
*Doſis ℥v, uſus tempore tepefacta, & ſaccharo cryſtallino dulcata, ter in die.*

## XV.

*De Lactis & Raporum eſu, quid dicendum.*

DE *Lactis & Raporum* uſu, adverſus *Arthritida*, nihil habeo, quod in eorum laudes efferam. Siquando profuturæ ſint, prima id ætate, contra *Hæreditariam Arthritidem*, vel adulta contra *Arthritidem vagam*, maxime factu probabile eſt. Certe provecta ætate; imo quidem media, *Dunmoniis* obfuere. Sanguinem adeo deprimunt, ut in provectioribus ille, ad expellendum Miaſma, non ſufficiat, onerique natura, quod excutere nequit, ſuccumbat.

DE reliquis hujus mali cauſis Antecedentibus, ſatis eſt, quod digito monſtrentur.

## XVI.

*Cauſis evidentibus ut occurratur.*

DE *Cauſis evidentibus* primo loco inquirendum, opus ſit *Arthritico* Paroxyſmus, an ſecus. Ubi opus eſt, in eo prævertendo opera turpiſſime luditur, nec tam auxilium, quam exitium dabit hujuſmodi medicina; quæ nullo ſæpe modo *Arthriticum* melius tuetur, quam paroxyſmum addu-

adducendo. At ſi non opus erit Paroxyſmo (qua de re ut recte fiat judicium, multa Symptomatum obſervatio, & conſideratio neceſſaria eſt) medici erit, eum, ne fruſtra adfligatur *Arthriticus*, antevertere. Ideoque monendus ille eſt, ut quæ Cauſam in ſanguine Continentem movere ſoleant (quæ ſupra Capite V, §. XVII recenſentur) ſtudioſe vitet.

# CAP. XI.



## HISTORIA I.

### *Apparatus ad Paroxyſmum longus.*

VIR comis, blandus, ſuaviſſimo certe ingenio, ſed quod ad voluptates inveſtigandas & perfruendas, quam ad obeunda negotia, remque curandam familiarem magis aptum, omnem fere juventutem *Baccho* & *Venēri* dicavit, & δυσδαιμονίας iſtius fructum tulit, morbos ſcil. aliaſque non unius generis ærumnas.

ÆTATE enim media Calore & Sudore

dore Hectico, Phthiſeos futuræ indiciis correptus eſt, ſummoque in diſcrimine verſatus, nec ab eo niſi multa obſervatione, & diu caute agendo liberatus. Poſthæc *inertiæ*, & *vitæ* addictus *ſedentariæ*, alieni vim immodicam in ſanguine contraxit, adeo ut ſenectam vix ingreſſus, eum in modum afficeretur, qui rarus, gravis, & periculo plenus a nobis hoc in loco commemorandus.

TUMERE pedes ſero admodum, etiam mane diſtenti, digitique impreſſionem facile acceptam diu retinere; fames evaneſcere, & cum fame coctio; urina paucula, rufula; facies, obtuenti mihi, mirum quantum apparere aliena, nimirum hebes, obtuſa, colore fuſco & in margine ad flavum tendente. Concurrere familiares, veteris conſuetudinis minime obliti, & gemitus inter & lacrymas ei, ac ſi non ex urbe ſolum, verum etiam e vita exceſſuro, valedicere. Diſceſſit enim hic ſuorum olim gaudium & deliciæ, jam metum illis, jam mœrorem incutiens, tanquam Hydrope cito periturus.

SOLA uſus eſt, ἐκ τ̃ Φαρμάκων numero, *Tinctura Stomachica*, cujus guttas quaſi XXX ſæpius in die ex vino hauſit. Longum iter Rheda confecit, ex quo non ita diu poſt audivimus, Articulis eum ægrotare,

tare, multumque cruciari, quam vero opportune, quantaque cum utilitate verbis explicari vix poteſt. Nam ex eo patuit, contra quam expectatio fuerat, rem adhuc quidem, Arthritide ad τὰ ἄκρα prorumpente, in tuto eſſe.

ADEO magna ſymptomatum caterva, & in tempus adeo longum producta, Paroxyſmus hic incepit Arthriticus.

## HIST. II.

### *Arthritis & Febris Intermittens imperium alternant.*

VIR antiqua nobilitate ortus, ſuæque domus hodie coryphæus, articulamentorum morbo diu conflictatus, contra eum in aëre aprico plurimum & obſtinate ambulando hoc commodi cepit, ut pedum omnino integer, & compos hactenus permanſerit: aliis vero accidentibus non immunis. In Belgii noſtri regione humida & uliginoſa nimium moratus, ab *Arthritide* non ſatis incolumis, Febre correptus eſt intermittente. Qui modo doluit articulis, eumque dolorem omnium peſſimum exiſtimavit, rigore nunc, tremore artuum, crepitu dentium infeſtatus, aliena ſæpe locutus, hæc morborum omnium teter-

teterrimum & vitæ peſtem indicare judicavit. Brevi fugata *Febre* cum ſuo ſatellitio, reverſa eſt *Arthritis*, & imperium tyrannicum exercuit: manus pedeſque vinculis ligavit: cibo aluit tenui, eoque parciſſimo. At paulo poſtea *Febris* cum copiis redux, *Arthritida* fugavit, illius caſtra turbavit, ægrum quaſi perduellem miſerrime cruciavit, ut ille novæ tyrannidis impatiens, omnia tentare, quoquo modo ea liberari voluerit, idque a me impenſe flagitaverit. Votis ejus obtemperans, Decocti Corticei ℥ij, quarta quaque hora, in dies quadraginta, (id eſt congios quinque) propinavi: quo *Arthriticus*, extra teli jactum poſitus uno veteri affectu contentus, eoque ſolito more recurrenti, cœtera recte valet.

---

## HISTORIA I.

(Ad Cap. V.)

### *Paroxyſmus a Puerperio.*

PUERPERARUM *Arthritides* ἦθος ſubtile habent, a paucis animadverſum, a nemine, quod ſciam memoratum: brevi rem expediam. Matrona honorabilis omnique cultu digniſſima, cum ſæpius enixa fuerat, nunquam a partu blandæ illius & benigniſſimæ ἀλγηδόνος, quæ ſexui iſti tam commoda, ut illa carere nequeat, eſt potita: ex qua ἀποφάσει cum Lochiorum paucitate poſt nuperum partum, diecula vix elapſa, in Paroxyſmum incidit *Arthriticum.* Podagra fuit cum Hallucis Articuli Tumore, Rubore, Nitore, Dolore. Paucis poſt diebus in Coxendicem Miaſma ſe recepit, ibique cruciatus edidit. Tali quodam eſt modo reſtituta. Pilulas dedi *purgantes*, ad quartam uſque vicem: poſtea diebus otioſis *Chal. Nutritum*, nunc *Pulveris*, nunc *Electuarii* forma, cum aliis *Arthritidem* expellentibus, ut & *Pilulas*, *Julapium*, & *Tincturam* ejuſdem generis. Quibus aliquantiſper uſa remediis, baculum abjecit, appetitum habuit reducem,

cem, & in facie colorem, at a Frigore pati, ut a teneris annis ſuevit.

ALIAM novi mulierem, quæ, ut ab ipſa accepi, cum ſexties ſepties peperat, poſt omnem partum Paroxyſmo ſtatim *Arthritico* correpta eſt; idque nulla urgente cauſa evidente, & procatarcticam movente. Hoc autem ideo fieri exiſtimo, quoniam *Arthritidis* materiam in ſanguine diu latentem, verum (uti nonnunquam a vomitione) in Paroxyſmum ὀδυνῶσις excitatam habuit.

ALIAM porro notavi, quæ intra menſem a puerperio Articulis ſæpe laboravit, eadem proculdubio de Cauſa.

QUARTAM obſervavi mulierem formoſam, ſed (*ut miſcens omnia dat Deus*) mirum in modum inquinatam: quartum jam parturiit, cum artuum articulos ſtatim invaſit Dolor, Tumor. Ventriculus etiam affectus eſt, vomitione crebra laceſſitus. Nihil hic πεφάσεως præter enixus jam dictos, at πεπηγυμένης nimium quantum. Cibo enim ſalſo & δυσπέπτῳ delectabatur, ejuſque uſu pertinaci ſanguinem infecit adeo, ut muriam diceres, non nutrimentum. Aquam ego *Bathonienſem* cum medicamentis ad ſanguinem in melius alterandum aptis, adhibui, quouſque vero morem

morem illa geſſit, & quocum emolumento me latet.

## HIST. II.

### *Ex acidi Pomacei uſu, & Aere frigido Arthritis.*

TORVA mulier, innupta, parentibus omnino ſanis orta, *Pomacei* per omnem vitam, ſed modica quantitate potatrix, cum jam defecerant Catamenia, nec quidem antea, laboravit *Arthritida*, nunc pedum, nunc manuum dolore tumoreque ſignata, dies aliquot, interdum hebdomadas ſæviente, omnique hyeme recurrente, & quidem ex ſua domo unica laboravit. Locum incoluit injucundum, aere aſperrimo perflatum, neque aqua abundantem optima, qui partim ex acidiſſimi Pomacei uſu quotidiano *Arthritidem* habuit indigenam, & tanquam morbum endemium. Annis ante aliquot vertigine fortaſſe *Arthritica* gravata eſt, quæ purgatione tam ἄνω quam κάτω ſublata eſt. Allam contra hunc affectum, addita Rad. Pæon. maris, ſtercoris Pavonis eo quod album eſt, & floribus Calendulæ medicatam, diu potavit, nec quidem inutiliter. Vitam ea tranſegit hilarem, curis inanem,

& denique ſeptuagenaria ſupremum obiit diem.

## HIST. III.

### *Arthritis ab Ulcere ſuppreſſo Anomala.*

QUIDAM in *Dunmonii* noſtri meditullio, naturæ fortunæque dotibus inſignis, una cum duobus Fratribus, *Arthritide*, ut videtur, hæreditaria diu multumque laboravit. Ætate provectus *Ulcus* habuit in Tibiarum altera, ut apparebat, non incommodum: at illud expleri & carne comprimi, quod deinceps evenit, magno fuit ægrotanti incommodo. Paroxyſmus ex eo tempore juſto mitior fuit, neque dolore, neque rubore, neque tumore ſolitis ſtipatus. Paulo poſt de *Capite* conqueſtus eſt: ſenſu tum communi orbatus, & Paralyſi correptus. Hoc rerum ſtatu vocatus ægrum cum debili pulſu, & ſpaſmis frequentibus animam exhalantem & e vita cedentem inveni.

NIHIL primo aſpectu probabilius videtur, quam quod hic ægrotans exquiſito & abſoluto Capitis morbo adfectus opprimeretur; verum e contrario *Arthritidis* diuturnæ, *ſiccato Ulcere* nuper repreſſæ, &

& Capitis ex eo ſtatim occupati habita ratione, nihil clarius videtur, quam quod æger *Arthritico* Miaſmate, partim ætate, partim *ſiccato Ulcere*, in Caput inverſo, perimeretur, & mortem ſibi conſciſceret.

## HIST. IV.

## *Arthritis ab Hæmorrhoidibus ſuppreſſis.*

MILITIÆ & domi vir inſignis, *Hæmorrhoidum* fluxu diu gravatus eſt: quinto & quinquageſimo ætatis anno fluxu *ſuppreſſo*, *morbum articularem* ſentire cœpit, qui, cum benignus admodum non in ἀνωμαλίας excurreret, aut dolorem nimium comitem haberet, magno illi fuit uſui, & in morbos alios tutelæ. Octogeſimo ætatis anno jucundus & animi vigore gratus, multa de Bello Civili narrando ſe alioſque oblectavit, & demum excurſo ſpatio exceſſit e vita fortunatus ſenex. Hæc autem Hiſtoria *Morbi Articularii* γένεσιν *ex Hæmorrhoidibus ſuppreſſis*, quod volui, confirmat. Filius ejus in his temporibus nunc *Arthritide*, nunc *Colica*, nunc *Hæmorrhoidibus*, nunc *Calculo Renum* afflictus, magnam malorum vim honoribus ſummis accedere poſſe oſtendit.

## HIST. V.

### *Arthritis ex Menſium ſuppreſſione.*

EX Menſibus ſuppreſſis *Arthritidem* oriri, non uno patet exemplo; unum pro multis in medium feram; idque fæminæ ſanctæ apud nos & venerabilis. Fuit annorum illa quinque & quadraginta, cum menſes defecerunt, quibus Fluor albus ſubſequutus eſt, & deinde poſt paulo Hæmoptoe; *Podagra* ſucceſſit cum affinibus *Gonagra*, *Iſchiade*, *Omagra*, *Chiragra*. Contra has *Arthritidis* Anomalias Aquis uſa eſt in vicinia Ferratis, quarum lbij omni mane per vices hauſit in menſes binos: præmiſſa & nonnunquam interpoſita purgatione, additiſque alterantibus idoneis, amaris ſcil. Cardiacis, & Chalybeatis. Horum ope grandiuſcula diem obivit.

### *Alia ejuſmodi.*

FOEMINA nobilis, εὔσαρκος, & bene colorata, vitam multos annos egit vitalem, nonum ingreſſa luſtrum, Menſium habuit defectus: ex eo tempore malorum Ilias; primo nempe *Arthritis*, eaque cum mali

mali moris eſſet, neque ex voto ſalutaris, ulcere veſicæ, & Calculo laboravit, quibus miſerrime oppreſſa, roſiones inter & dolores, vitam ærumnoſiſſime, neglecta ἐν καιρῷ medicina, cum morte commutavit.

---

Ad Cap. VI.

# HISTORIA I.

## *Arthritis frigida cum Crepitu Oſſium.*

UT *Arthritidis* hac in parte naturam Hiſtoria confirmem, ad manus eſt exemplum; Mulier annorum quinquaginta jam per decennium artubus ægrotavit, utpote manus & pedes clauda. Rheumatiſmo illa ſe affici putavit, ex humida & uliginoſa, in qua degebat domo: Ego vero contra *Arthritide frigida*. Erat enim *dolor articularis*, ſed obtuſus, & tempeſtate pluvia potiſſimum, cum tumore modico, rubore vero, nitoreque nullo. Dolorem mitigantibus plus ſemel uſa eſt, nunquam autem ſine periculo & diſcrimine: quamdiu vero ἐν τοῖς ἔξω materia verſaretur, eſuriit, concoxit, dormiit, hilari vultu bonoque animo fuit. *Crepitus* huic ægrotanti *Oſſium* fuit, qualem antea nunquam audivi. Quoties ſe moveret, Humeri, Cubiti, Carpi, quinimo Spinæ, Coxendicis, Genu Crepitus, tanquam ab inflato ſpiritu organi pneumatici ſonus, edebatur. Parum profuit huic ægrotæ

ægrotæ medicina, ego ne obeſſem, a medicamentis efficacibus abſtinui.

## HIST. II.

### *Arthritis Vaga in Fixam deſinens.*

*ARTHRITIDIS Vagæ* in *Fixam* mutationem plus ſemel memoravimus: en ejus exemplum perquam luculentum. *Iſcanus* artifex Rheumatiſmo ægrotare viſus eſt, qui perdiu ſæviens, aliam aliamque membri alicujus partem articulis interpoſitam momordit. Quamobrem ab ardelione quodam medico ſanguis etiam atque etiam miſſus eſt: poſt venam quinquies ſexies inciſam, in Articulos ſe recepit id quod alienum, in primis in malleolum; deinde, Digiti majoris globum ſive (quod alibi notavimus) *Arthritidis* ἑξίαν, cum tumore, rubore, ardore, genuinis ſcil. ejus indiciis. Hic *Arthritidis Fixæ* paroxyſmus omnino primus fuit; qui poſt venæ-ſectiones toties repetitas ſex hebdomadas duravit, etiamſi multum epiſpaſtico Seri elicitum erat; unde multum allevatus eſt æger. Tenui uſus eſt Diæta, ex Lacticiniis potiſſime. Plurimos *Arthritidis Fixæ* poſtea paroxyſmos habuit, regu-

lares & idoneos; unde vitæ ratio ſi non optima, & exoptatiſſima, certe tuta & ſalutaris.

## HIST. III.

### *Arthritidis vagæ in fixam mutatio.*

MATRONA quædam ruſtica & agreſtis Dolore per Artus huc illuc erratico tenebatur; ærumnoſe vixit, & afflictim, eo vexata. Ad illam advocatus Diaphoreticis uſus ſum, & πδαγεαγωγοῖς. In lecto eam detinui: quatuor vel quinque dierum ſpatio vix elapſo, Digitorum Articulos occupavit dolor & tumor: *Arthritidis Fixæ* indicia genuina; quæ finito paroxyſmo vigorem animi ſudum & ſerenum, quod in *Arthritide fixa* ſolet obvenire, ægroto contulere.

## HIST. IV.

### *Ὠμαλγία abſoluta.*

Ὠμαγραν nonnulli tamquam *Arthritida* fictitiam eſſe judicant, non tam in humano corpore, quam in libris inveniendam, neque ulla periodo certa revertentem, neque eodem ſymptomatum globo comitatam:

tam : è contrario *Arthritidis* ſpeciem eſſe genuinam, ſuo tempore revertentem, ſuis ſymptomatibus ſtipatam, argumento utique firmiſſimo jam pridem memet docuit experientia.

MATRONA quædam *Iſcana*, quod à marito familiari meo, renunciatum eſt, *cum tribus ejus ſororibus*, ante trigeſimum ætatis annum, Humeri Dolore correpta eſt, qui paulo poſt in *Chiragram* vel *Podagram in earum ſingulis* mutatus eſt, & affectum iſtum ὠμαγραν eſſe comprobavit. Hæc autem Matrona digitos habet diſtortos, articulos Tofis refertos, ut de *Arthritide* ne vel ambigendi locus ſit.

CONTRA hanc *Arthritida*, cui *Rheumatiſmi* nomen propter ejus vagationes, impoſitum eſt, venæ ſectione ſæpe ſanguinem miſit, quæ materiam retuſit *Arthriticam*, minime vero ſuſtulit.

## HIST. V.

### *Iſchias Arthritica.*

ADVOCATUS in vicinia *Cereri* & *Baccho* permultis annis ſacrificans, ætatis medio luxuriæ pœnas ſubiit, *Arthritide* correptus: vere anni 1708, pectus adoritur materia νοσερὴ, & exinde proturbata lævi lateris coxendicem dolore tam acuto,

acuto, ut ſe plane *Arthriticum* eſſe confiteretur. Dolore intolerabili defatigatus, cum primum me conſuluit, ſomno & quiete orbatus eſt, calore ſudoreque plane Hectico depreſſus & emaciatus eſt. Paregoricum illico propinavi, & *Decoctum Corticeum* ad integrum ejus congium, quinetiam ad alterandum ſanguinem *Decoctum Limacum*. Admota fuit cucurbitula femori externo prope articulum, tumore facto ſetaceum apertum eſt: cujus ope Seri affatim emiſſum.

SUB hoc tempus facto in femur humorum cataclyſmo, vaſte illud tumefactum eſt. Tumor erat albus, frigidus, œdematωδης: Maturatione externorum ope deſperata, Chalybem adhibui; *Salis ejus gr. iiij, cum Cort. lævigat. gr. XV, Syr. Garyoph. q. s. ter in die ſumpſit ex Decocti Limacum hauſtu.* Brevi ſpatio calor remiſit & paulatim evanuit. Sanguis hac arte roboratus tumorem maturavit, qui deinde cultello apertus puris albi lbiij per vices emiſit, ſed rubicundioris, qui inter muſculos femoris includebatur: maturantibus, digerentibus, mundificantibus res abſolvitur: cum quod emiſſum eſt nimis tenue effluxit, *Decoct. Saſſafræ* loco *Limacum* (temperie ſanguinis id ferente) dedi. A Sale Martis acuitur fames. Vinum rubrum Gallicum cum

cum Aq. font. conceſſi. Pedis dextri a malo hoc graviſſimo imbecillitas poſtulavit, ut pelle ovina recens extracta involveretur: hanc etiam ob cauſam *Aquas* adiit *Bathon*: ubi hydropoſia & balneatione, cum medicamentis idoneis ſanguinem invigorantibus, corpus imbecillum inſtauravit, & multos inde annos, ſed claudipes ob alienum Coxæ infixum, egit.

---

Ad Cap. VIII.

## HISTORIA I.

CHIRURGUS *Exonienſis Arthritide* hæreditaria diu gravatus, *Chiragra* laboravit, inflammatione roſea, tumore magno comitata; ſed quod præcipue notandum erat, dolore adeo vehementi, ut dies noctesque inſomnis jaceret, lamentationes indeſinentes ederet, ſeque omnium mortalium miſerrimum pronunciaret. Hunc inviſens id conſului, ut cubito *Epiſpaſticum* latum, bene armatum pulvere Cantharidum applicaret, inibique vires exercere omnes permitteret. Quid ex eo fit? Non ſolum acerrimi Seri permultum (Ibj ſcil. plus minus) educitur, ſed, quod omnem expectationem multum exſuperavit, cum dolore imminuto; placide enim ea nocte dormivit, neque de *Epiſpaſtico* vel minimum conqueſtus eſt. Adeo nempe veſicans hac *Arthritide* tolerabilius.

UT huic rei aliquantiſper immorer, pro *Epiſpaſticorum* utilitate & commodo ex iis capiendo, non ſatis frequentem ejus uſum in *Arthriticorum* medicina judico. Nihil iis rectius, nihil certius, nihil potentius acre Serum educit. His adde quietem

tem & almam pacem, quæ in univerſo corpore ſolet huic evacuationi ſubſequi. Si ex Sphaceli timore eam defugimus, non eſt quod eſſemus ea de re ſoliciti; ſuper muſculis applicentur *Epiſpaſtici*, crebro inſpiciantur; ſi quid lividiuſculi apparet, fotu idoneo, Laneorum ope, foveantur, deinde unguento *Baſilicon* appellato inungantur; ſartum ea tectumque ſervabunt ægrum.

## HIST. II.

### *De Paroxyſmis avertendis.*

IN *Paroxyſmis* attenuandis & avertendis, plurima tentavit gens *Arthriticorum*, idque vario cum effectu. *Bacchi* mancupium, media vix ætate, morbo articulari graviſſime mulcatum eſt; adverſus *Paroxyſmos*, cum venatione delectaretur, eaque cita pernicique per avia per devia veheretur, multum ab ea bonæ frugis ſe accepiſſe cogitavit. Nam ab exercitatione violenta ſanguinem exagitante, & in periodis accelerante, Miaſma *Arthriticum*, quod in unum coire niſum eſt articulum, ibique glomerari, a ſanguine reſorbetur, diſſipatur, diſcutitur eo uſque dum *Arthritidis* inſequitur prorſus ſilentium, & alta quies.

HUIC

HUIC obſervationi conſimile eſt id, quod de viro gravi *Arthritico*, & venatore tam ſtrenuo, ut vix quiſquam magis, alibi notatum eſt. Sæpius ille *Paroxyſmum* prolatavit, & de novo contra *Arthritidem* artificio gloriatus eſt, tanquam fuga victor. At licet teſtudineo gradu morbus incedens, ægrum aſſecutus eſt, & ſemel in anno laceſſivit.

ALIUM novi *Arthriticum*, præclaris ingenii dotibus inſignem, qui cum *Paroxyſmum* adventantem, & prope jam eſſe deprehenderet, vino ſupra modum hauſto, morbum excipere ſolebat; unde motus ſanguini novus imprimitur, priori *Paroxyſmum* illaturo contrarius.

ACIDIS alii *Paroxyſmos* arcent, nec quidem fruſtra; ecquo vero cum fructu? Minus ab eorum uſu doloris, at plus periculi. De quo vide Diſſertationem de Arthritide Anomala. Quid? quod detrahendo ſanguinem idem moliuntur non pauci; ut & alii Purgatione, frigidorum applicatione, aliiſque *Arthritida* repellentibus. De quibus ſingulis, quoniam permultum intereſt, nonnihil ediſſeram.

QUI repellentibus & frigidis utuntur, periculum obeunt & magnum & inutile: nec quidem excipiam veterum ſive *Latinorum* ſive *Græcorum* hac in re medicinam.

Multos

Multos illius uſu minime occidi, multos etiam relevari certiſſimum eſt: nec quidem excipiendam arbitror, *in frigidam, Immerſionem*. Qui hoc fiat, ut potero, conabor explicare. Dolores Artuum magna ex parte, dum Fibræ ſe criſpando contrahunt, oriuntur, adeoque Nervina plane ſunt affectio; quæ ut tollatur in primis confert *Immerſio* prædicta, quippe Nervorum, & in iis Spirituum affectibus quæ medeatur; atque huic opinioni favet, quod iſtiuſmodi curatio fiat in breviſſimo temporis ſpatio: E diverſo, Doloris Articularis, ex acro aliquo vel craſſo dependentis, materia a Frigidis, ad ea quæ intus ſunt, repellitur, unde malorum Ilias & quam ſæpiſſime Mors.

PURGATIO non tam propellit, quam infert *Paroxyſmum*, eoque vehementiorem hunc, quo violentior illa. At infelices certe *Arthriticos*, cum quæ ad arcenda eorum mala deſtinantur, ea contrahant! Sed hujus rei cum nulla ſit dubitatio, inter ea quæ *Paroxyſmum* invitent, quoties opus fuerit, & ægri res annuerint, hujuſmodi quoddam exhibere ſoleo.

℞ *Extract. Rudii* ℈j,
*Aloes roſat.* ℈ſs,
*Scam. pulv. gr. V, Balſ. Per. q. s. f.* Pilulæ. vel

℞ *Syr.*

℞ *Syr. è Spina Cer.* ℥j.
*Pul. Jalap.* ℈ſs
*Elect. è ſucco Roſ.* ℥ij,
*Elix. ſalutis* ℥ij *ad* ℥ſs,
*Aq. Cin. hord.* ℥iſs. *m. f.* Potio.

## HIST. III.

### *Arthritide facies obnubilata, Paroxyſmo claret.*

NOBILIS, ſanguineus, omnium horarum homo, *Bacchi Veneriſque* mancupium, poſtquam media ætate crebro teneretur *Arthritide*; tumore pedum immenſo, fame læſa, ne dicam abolita, vultu triſti & fuſco, oculo languenti & dejecto, vitæ lumine privato intabuit; oris ſuavitas & decor, ſermonis argutiæ καὶ ἔπεα πτερόεντα, plane ad nihilum redacta ſunt; brevi, nihil aliud videbatur in propinquo, quam naturæ diſſolutio mors.

CUM eo loci res eſſet, iter hinc *Londinum* acceleravit, ubi *Paroxyſmo* poſtea aliquanto correptus eſt *Arthritico*, eoque laudabili, ſalutari, commodoque; tollebat enim iſtam in facie nubem, iſtam obſcuritatem; redierunt, tamquam ex poſt liminio, Gratiæ, Charites, Cupidineſque.

HI-

# HISTORIA I.

Ad Cap. IX.

## *Diarrhæa Biliosa solvit Arthritidem.*

QUI Paroxysmorum mores rite intellexerit, & eorum varietates perspectas habuerit, advertat oportebit, ut *Diarrhæa* subinde claudantur ii, & dejectionibus solvantur. Mulier *Iscana*, bile abundans, simulque multos annos *Arthritica*, quo tempore de morbo sermonem cum marito haberemus, hoc in *paroxysmo* sibi privatum obtigisse mihi narratum est, eos biliosis dejectionibus semper ad exitum perduci. Enimvero ea Naturæ in sui conservatione solertia, & mirum quantum ingenii, ut suopte Marte, quam medicamentorum sylva, plus sæpe relevetur. Ab hisce dejectionibus spiritus animales, læti alacresque facti, munus suum obeunt, nec non ægra senectutem adepta, multum *Arthritidi*, multum etiam *Diarrhææ* debuerat.

DUROTRIX generosus, magni *Harvei* ex Fratre Nepos, eo usque manibus pedibusque distortissimis ex *Arthritide* laboravit, ut vix Cochleam tarditate vinceret.

ceret. Plurimum autem intererat hominis tenerrima conſtitutione, Regularem maxima ex parte fuiſſe morbum, neque diris unquam Symptomatibus ſtipatum. Hoc autem habuit peculiare, quod in exitu *Paroxyſmi* omnis, quæ in Inteſtinis otio cumulata fuerat Bilis, redderetur alvo, idque quantitate ſupra modum magna: qua jam exturbata, interquievit alvus, & brevi tempore convaluit æger. Ad ſummam ſenectutem hiſce mediis annos circiter octoginta vivens, e vita exceſſit.

## HIST. II.

### *De Pruritu Arthritico.*

UT à Balneis adverſus *Arthritida* beneficiorum magna vis & cumulus eſt, unum hic commemorabo, quod in Symptomate, tametſi non periculoſo, gravi tamen & importuno, fert auxilium.

SENEX decrepitus, poſtquam morbo Articulari diu multumque doluerat, in *Paroxyſmorum* intervallis univerſi pene corporis, præcipue Spinæ Dorſi *Pruritu*, impendio vexatus eſt: ut illum mitigaret, τδατι θέρμα ingreſſus, Linteo denſo vel (loco ſtrigilis, quæ *Romanis* in uſu fuit) cilicio ſe perfricari curavit: partim Balneo, partim frictione allevatus, ex eo jucun-

cundiorem imo vero tutiorem vitam habuit.

## *Alia ejuſmodi.*

PHARMACOPOEI *Exonienſis* uxor, multos annos *Arthritica*, nupera hyeme contra quam ſolebat immunis, vere anni 1707, *Pruritu* corporis univerſi tam ipſius Trunci quam Membrorum, præcipue vero Spinæ, adeo pertinaci & immodico, tanquam ab urtica die noctuque gravata eſt, ut ferri vix poterat. Sex circiter hebdomadas continuavit hic affectus Cutis æſtum, inquietem multam inferens.

FRIGIDA & repellentia fugiat, monui; purgante vero ex Manna, Sale Cathartico, Aq. Hordeata ſolutis, utatur. Cilicio cutim mane & veſperi fricet. Horum uſu diſſipata & evocata materia, brevi Pruritus, Æſtus, aliique ejus ſatellites evanuere ad unum omnes; tanquam à *Paroxyſmo*, vegetior & ſanior evaſit ægra, imo quam anteacto tempore diutino longe vegetior. Solutum bis terve repetere præcepi, & ægræ valedixi.

# HIST. III.

## *Pruritus Arthriticus.*

AD *Pruritum Arthriticum* referenda eſt

Hiſtoria viri in Suburbiis *Totoneſii* habitantis. Fuerat ille multos annos *Arthritide Frigida* detentus, cui ſuccrevit in Nucha *Pruritus* immanis, ardens, importunus, maxime lecto promovente calido. Naturæ moris eſt, exuvias in hac regione morboſas deponere; unde Epiſpaſticis, aliiſque cutim aperientibus hac porta (ut in *Arthritide*, *Febribus*, aliiſque νοσήμασι licet obſervare) facile extrahuntur. Ut opus adeo neceſſarium hoc in ægroto promoveam, ea præcepi, quæ ſequuntur.

℞ *Piperis longi, Garyoph. Aromat. Croci Brit. Camforæ* āā ℈ij, *Saponis Ven.* ℥iß, *Sp. Lumbric. M.* lbß. Miſce & digere igne arenæ, vitro bene clauſo, per noctem; Colaturæ adde Sp. Salis Armon. ℥ß, fiat *Epithema.*

℞ *Elect. de Ovo, pul. e Chel. C. C.* āā ℈j *Serp. Virg.* ℈ß. *Conf. Alk. q. s. f.* Bolus.

℞ *Aq. Theriac.* ℥ij, *Epidem.* ℥j
*Cin. hord. Lact. Alex.* āā ℥iij
*marg, pp.* ℈j, *Sacch. alb. q. s. f. Julapium.*

Sumat *Bolum* hora ſomni, cum *Julapii* coch. aliquot, omni mane & veſpere. Poſt frictionem panno linteo denſo peractam, madefiant *Epithemate* pluma applicato partes prurientes. Ad mitigandum ab *Epithematis* uſu calorem, ſi urgebit, partem affectam Aqua fontana, cum Sp. Vini Cam-

Camforati pauxillo lavari juſſimus. Multos ille annos his ſuperſtes, *Arthritide* & ætate confectus, e vita exceſſit.

## HIST. IV.

## *Tetanos.*

PHARMACOPOLÆ *Exonienſis* uxor, vetus *Arthritica*, de qua mihi ſæpe fuit occaſio fabulandi, poſt dolores, quos in omni Paroxyſmo graviſſimos ſenſit, *Tetanum* habere conſuevit, durum & obſtinatum; unde multum ei moleſtiæ & peſtis inſolita: membra enim, quæ forma eleganti & pulcherrima colligantur, quæ decore extenduntur a natura, a morbo inter ſe jam implicata formam iſtam amiſere, & huc illuc inſulſe & incondite contorta, tanquam morionis, agitata, aut eodem loco rigida ſunt & immobilia.

UT malo huic adverſetur ægra *Spiritus Lavendulæ gtt XXX ad XL, Saccharo & mica panis abſorptas*, mane & veſperi demiſit, idque cum fruge optima.

## HIST. V.

## *De Diarrhœa.*

ARTHRITIS aliquando *Diarrhœa* finitur. Cum natura Paroxyſmo regulari,

&, ut apparet, idoneo, alieni multum per *Glandulas* Artuum *Mucoſas*, ablegavit; quod reliquum eſt negotii *Dejectionibus* interdum abſolvitur; alieni quod reſtat per Anum exterminatur. Hoc in *Biliosis* Conſtitutionibus ſæpiſſime contingit; ubi quiete, Paroxyſmo omni neceſſario capienda, *Bilis* coacervata, ſub ejus exitum *Cathartici* præſtat officium, & *Inteſtina* ſtimulando, ſibi maſſæque impuræ ibi contentæ viam facit aperiri, quin & reliquias in Sanguine *Arthriticas* ſimul cum iis forſan exterminari.

BLANDUM equidem & benignum hoc Symptoma, naturæque rebus non raro maxime conveniens. Purgatur enim eo corpus, & quod intus læſurum erat, tempori utiliter exactum eſt. Quamdiu eo loci res ſit, Alvus ſe exonerare permittatur: unum illud attendendum, ne nimis excurrendo *Diarrhœa* vires ægri deterat & conſumat. Hujus ſiquando fuerit periculum, iis utendum eſt (tum Medicamentis, tum Diæta) quæ Alvum contrahant: quæ cum eadem ac in *Diarrhœa* ſint exquiſita, eorum enumerationi præceptionique nullus inſiſtam; medendi viam, tanquam digito, monſtrare contentus.

HI-

## HISTORIA I.

Ad Cap. X.

### *Arthritis à Frigore.*

A *FRIGORE* tamquam cauſa Procatarctica, oriri poſſe *Arthritidem*, haud dubium eſſe vel ex Hiſtoria ſequenti judico. Homo *Iſcanus*, honeſta ſed *Arthritica* domo natus, diu fuit immunis, at tempus eo vitæ genere traducens quod *Frigori* patuit immodico & intolerabili, ſuppreſſa ἀφανοὴ, & iis, qui ſunt illius innumeri fructus, interciſis, tandem *Arthritide* correptus eſt, & ejus beneficio materia in Sanguine aliena liberatus. Ut autem ipſi *Arthritidi* modum imponam, id quod ſequitur imperavi, προφυλακτικὸν.

℞ *Pul. Rhei* ʒiij,
*Sem. Coriandri* ʒj
*Ol. Roriſmarin. gtt X. f. Pulvis.*

Doſis ℈ſs bis vel ter in die, ad alvum molliendam.

## HIST. II.

### *Potione mutata mitigatur Arthritis.*

G. L. Familiaris meus, bono vir inge-

nio, & ad ſocietatem facto, poſt adoleſcentiam non nimis ſiccam, aliaque iſtius ætatis errata, *Arthritide* graviter afflictus eſt. Semel bis in anno ea redux ad annos aliquammultos, digitos extendit, articulos infercit, & famem omnino languentem & nauſea comitatam habuit. Gravate tulit tot ærumnis & morborum impedimentis ſe adoleſcentem adhuc urgeri, & ut allevaretur *Emeticum ex Rad. Emet. Decocto adhibuit*, deinde *Purgans ex Pil. Rud.* ℈ß, *Reſ. Jal. & Calom. quinquies ſub.* $\overline{aa}$ ℈ſs, *Balſ. Per. q. s. ut f.* Pilulæ; vere & autumno *Pilulas*, (& nonnunquam *Emeticum*) repetiit, ad quatuor vices, & annos complures. *Arthritidem* hac methodo ſubegit, non evicit. Adverſus Allam monitus, ut potionis genus adeo ſpiſſum, & crudum ne admitteret, ea prorſus ſe abſtinuit, Cereviſia biennio minori, ſed & generoſa & defœcata, contentus. Hac arte Sanguinem ita correxit, ut toto inde triennio poſt ne quidem ſemel doluit, nec (quod eo amplius) Paroxyſmo caruit.

## HIST. III.

### *Aquarum Bathonienſium uſus adverſus Arthritida prophylacticus.*

QUANTI vero uſus & quam magni mo-

momenti in *Arthriticorum* Sanguine purgando Miaſmateque eluendo ſint Aquæ Minerales, præcipue *Bathonienſes*, obſervatione non una confirmabo.

VETERIS *Arthritici*, qui morbo plurima luſtra conflictatus eſt, Filius, annos habens viginti, de Salute renovanda me conſuluit. Erant eo tempore Tofi, certiſſimum *Arthritidis* ſignum, Digitorum Articulos infarcientes, extendentes. Conſtitutio Corporis infirma, exucca; Facies pallida, & pene cadaveroſa; quæ utique Symptomata Sanguinem non modo languentem & depreſſum, ſed & contagio *Arthriticis* hæreditario contaminatum indicarunt.

UT nodo tam difficili cuneum accommodem, hortor, Aquas *Bathonienſes* ut ex fonte vivas, ad diutinum tempus perſeveranter hauriat. Morem ille gerens *Aquas* adiit; omni mane lbij, alias vero in potionem ordinariam, cum vini quantitate ſtomacho neceſſario, quotidie potavit; idque *per annum integrum*; ſuadente commodo, quod ex earum uſu perceperat immenſo.

QUID denique fit, exacto jam anno, domum rediens, *Iſcæ* me inviſit; at in melius quantum mutatus enarratu perdifficile eſt. Coloratior, vegetior, & habitior

ita

ita factus eſt, ut alium putares: verbo dicam, exivit umbra, reverſus eſt Homo εὔσαρκος. Vix alibi uſquam Aquæ majori cum emolumento potæ ſunt: ipſi etenim *Toſi plurimum emolliti*, tantum non evanuere, certe in Tumores tenues & digito cedentes.

SCITU digniſſimum eſt, hoſce fructus non ab Aquis provenire niſi pertinaciter & diu potis; & quidem eas toties incaſſum hauriri ab *Arthriticis*, (ne dicam aliter adfectos) & inani opera, vero mihi ſimillimum ideo fieri videtur, quoniam ὑδροποσία juſto brevior eſſe ſolet, neque morbi tam magni & δυσλύτου cauſæ par amoliendæ. Contra tantæ molis opus ut perficiatur, Aquam cum Sanguine penitus miſceri, & propterea ſæpius in vaſis ſanguineis circumagi, Sales ejus & impuritates abſorbere, tamquam ὄχημα foras evehere, neceſſum eſt: quod niſi diutino temporis ſpatio, periodiſque perquam multis minime peragendum.

NE res ſalva relabatur, æger περιφυλακτικὸν deſideravit. Pauculis hiſce coctionem adjuvantibus, in uſum præſcriptis, ejus voto obtemperavi.

℞ *Tinct. Stom. cum M.* ℥j *ſumat gtt XV, ad XX vel XXV, ex hauſtu Teæ, ſeu vini albi Luſitanici, omni mane, hora X^a.*

℞ *Pul.*

℞ *Pul. Rad. Zedoar. Gentian.* ā̄ *gr. V, Myrrhæ elect. Salis Martis* ā̄ *gr. iii. Ol. Cin. Ch. gttj, Extr. Cent. min. q. s. f. Pilulæ alterantes*

℞ *Rhei pul.* ʒiſs, *Aloes Roſat.* ʒß. *Ol. Aurant. Ch. IV, Syr. domeſt. q. s. f. Pilulæ aperientes, quarum XII pondo ſint* ʒj.

Sumat *Pilulas alterantes* omni nocte hora ſomni, ex vini præſcripti hauſtu. Quoties *Dyſpepſia* fuerit, ſumat hora ſomni unam e *Pilulis aperientibus*, mane ſeq. ij, iij, vel iv, ad alvum ſemel bis movendam.

HIS auxiliis multos ille annos ſanus & incolumis jam perdurat, *Arthritide* vix, aut ne vix ſalutatus.

HUC referri poteſt viri profecto ornatiſſimi Hiſtoria, (Diſſertationis tertiæ, Cap. II, n° IVta) quæ uſum harum Aquarum adverſus *Arthritida* prophylacticum abunde monſtrat. Fructum ab iis ampliſſimum ſe percepiſſe ipſo mortis articulo agnovit, & graviſſime queſtus eſt ſe βοήθημα tam divinum, imo ab ipſo expertum, fuiſſe tam oſcitanter a ſe, contra quam admonitus fuit, omiſſum.

HI-

Ad Cap. X.

# HISTORIA I.

## *Adverſus Arthritida Prophylacticum.*

SEPLASIARIUS *Exonienſis* Pomaceum, ſed non immodice potavit, *Arthritide* vehementer ægrotavit ſex ſupra viginti jam annorum; per decennium *Arthritidem* inſtare & appropinquare ſenſerat ex Articulorum motu diminuto. Luxationem ille diu putavit, donec ante biennium matrimonio celebrato rei uxoriæ ſe dans *Arthritidem* habuit aperte παροξυσμὸν, quæ adfectum vertiginoſum antea moleſtum ei ex toto depulit. Prophylacticum à me rogavit, quod hiſce verbis exaratum eſt,

℞ *Pul. Rhei, Extr. Rudii* aa ℈j
*Syr. e Sp. C. q. s. f.* Pilulæ nº. VII.

Sumat II ſera nocte, reliquas mane ſeq. Poſtea bibat omni mane, horas inter 6 & 8, Aqq. in vicinia ferratarum lbij, hora circiter nona Infuſi Teæ Aq. pluviatili confect. ℥xij ad ℥xv. Hora undecima Tinct. Stom. cum Myrrha gtt. xxx, ex vini hauſtu. Veſcatur cibis εὐπέπτοις, carne agnina, vitulina, pullina, vel Piſcibus: Potui ſit *Decoctum* ſequens. ℞ *Rad.*

℞ *Rad. Chinæ, Sarſæ, Uvar. Corinth.* ā ℥j
*Coccin.* ℈j, *coq. in Aq. Pluv.* lbiij *ad* ij,
*Colaturæ adde*
*Tinct. Aurant.* ℥ſs, *Sacch. Chryſt. q. s. f.*
Decoctum.

Quarta pom. *Bolum* ex *Conſ. Fl. Salviæ, Pul. Rad. Ari Comp.* ā ʒſs, *Syr. N. M. q. s. f.*
Bolus.

Quem ſuperbibat *Julapii* hauſtum.

℞ *Aq. e Succis Lact. Alexet.* ā ℥vj,
*Pæon. C.* ℥iiij, *Marg. pp.* ʒſs,
*Sacch. Cryſtal. q. s. f.* Julapium.

Septimo vel decimo quoque die repetatur *Purgans.* Perſiſtat menſes binos.

HANC medendi viam admodum conducibilem invenit, adeoque ſæpius cum fructu calcavit.

## HIST. II.

## *Gula Arthritico exitialis.*

HUJUS rei nullum plenius eſſe poteſt exemplum, quam quod de *Sept. Severo,* in *Aur. Victoris* Epitoma profertur. [*Is dum Membrorum omnium, maxime Pedum Dolorem pati nequiret, veneni vice, quod ei negabatur, cibum gravis ac plurimæ Carnis avidius invaſit: quem cum conficere non poſſet,* cruditate *preſſus expiravit.*]

HIST.

## HIST. III.

### *Arthritis Aquis Bathonienſibus ſubacta.*

MUNICEPS *Iſcanus*, homo frugi, quocum in tenebris mices, annum ætatis duodecimum ingreſſus, dolore, tumore, nitore manus Articulari, cum æſtu corporis univerſali, correptus eſt. Cubiculum ut primum intravi, ſtatim inuſitata me occupavit ſpectaculi facies, Puer, ore modeſto pallidoque toga nocturna veſtitus, manu laneis involuta, pede in ſcamnulum erecto. Detractis e veſtigio laqueis & laneis inflammationem obtueor, plane *Arthriticam*, cum Articuli in manu Tumore. De Patre protenus interrogo, numnam, cum in vivis eſſet, doluerat unquam *Arthritide*: *Diu multumque*, reſponſum eſt, ſic ut vix unquam quiſquam magis: Sed, an parvulum hunc ſimiliter affici judicaverim. Ita procul omni dubio, repoſui. Vociferatione facta, nutriculæ exclamant, Ergo Dominulus octennis fuit *Arthriticus*: nam eo anno prorſus in hunc modum eſt affectus.

MATER, ſancta admodum matrona & pudica, ut in filii unigeniti tutelam Prophy-

phylacticum adornarem, me rogavit, in uſum illud traheretur, pollicita. Fidem utique liberavit, nam curæ fuit, ut Puellus (quod illi conſilium datum eſt) omni mane per menſem annuatim, *Aquarum Bathonienſium* lbj (ad ij) exhauriret, reliquoque diei ſpatio in potionem ordinariam: qua methodo complures annos uſurpata, æger adeo profecit, ut ſanguine multum alterato, & à Miaſmate liberato, plures annos, minimum XX, egit immunes, & omni paroxyſmo vacuos: poſtea ſubinde, ſic ut veteris veſtigia morbi confirmentur, extraque dubium ponantur. Media vero ætate, (non ſine *Arthritidis* inverſæ ſuſpicione) ob gravem cauſam Antecedentem, in Nervinum genus alienum impellentem, mortem, non ſine ſuorum maximo dolore, oppetiit.

## HIST. IV.

### *De Pomacei Uſu in Arthritide.*

UT *Pomacei* in *Arthritide* virtutes parumper exponam, obſervare licet *Dunmonium* nobilem præclaris animi dotibus inſignitum, ſed *Arthritide* multos annos per vices afflictum, denique diu immunem fuiſſe, & ſi forte doluit, omnino lenis & edentula fuit *Arthritis*. Cum de mutatione

ne tam felici, & ejus cauſa percontarer, uni illam Potioni noviter adhibitæ acceptam retulit: nam cum olim Cereviſia, Pomaceo vero pronuper, ipſo referente, uteretur, ſub illius uſu doluit Articulis, & quidem impenſe, ſub hujus omni ferme *Arthritide* vacavit.

EX prædictis, & alibi memoratis, abunde liquet, *Arthritidem* a *Pomaceo* nunc inferri intendique, nunc attenuari propellique; nimirum ab acido tenuique inferri, a puro & multarum virium *Pomaceo* propelli. Verum magni refert hac in re, quæ ſit *Arthritici* conſtitutio, & quam ei conveniat *Pomaceum*: ut enim aliis eo nihil conducibilius, ſic etiam aliis eo nihil magis alienum. At

Φύσις ἀνθρώπου κενεὰ πάντα.

## HIST. V.

### *Prophylaxis Arthritica.*

HOMO *Dunmonius* ad res gerendas civiles aptiſſimus, memet anno 1709 conſuluit de Prophylaxi *Arthritico.* Pater ejus ferme Sexagenarius *Arthritidi* ſuccubuit. Doloribus quaſi Rheumaticis per artus huc illuc vagis, nunc internodia, nunc articulos infeſtantibus ipſe laboravit; quibus ſe Tumores & Rubores adjunxere. Alias Do-

Dolore in regione lumbari, alias Hæmorrhoidibus, alias affectu Aſthmatico tentatus eſt. Fames imminuta, Coctio Fame pejor. Curæ mihi fuit id quod alienum, tot tantaſque turbas ciens, e Sanguine partim eliminare, partim alterantibus cicurare. Quem in finem leni præmiſſo *purgante*, cum paregorico annexo *Aqq. Diuret. omni mane lbij, Tinct. Stom. amaræ gtt XXX ad XL, ex vini ſive Teæ hauſtu horâ undecima propinavit. Elect. Stomachici ex aromatibus & amaris cum Chalybe Nutrito quarta pomerid. Hora Somni Pil. ex Opob. & Millep. pp.* In potionem ordinariam Aqq. cum Vino q. s. Deinde hyemis initio *Allam* hujuſmodi *medicatam.*

℞ *Summit. Abiet.* ℥iij, *Bacc. Junip.* ℥ij *Milleped. ſiccat.* ℥ j *coq. in Cereviſiæ novæ q. s. ad Cong. IV, quibus adjiciantur Summit. Hed. ter. ſiccat. Mj*; Hiſce vero omnibus præmiſſa eſt *Phlebotome.*

ISTIUSMODI methodo omni æſtate repetita, plurimos ille annos egit, & dum hæc ſcribo ætate provectus, valetudine ſi non optima, tamen ob vitam prudenter actam minime contemnenda fruitur.

## HIST. VI.

### *Toſi Inedia, & Exercitatione ſublati.*

GENEROSUS, ad *Iſcæ* ripam, *Bacchо & Cereri* permultis annis addictus, *Arthritide* media ætate correptus eſt; eaque pro cauſæ antecedentis vehementia, vehementi. Non ſolum Paroxyſmis, & duris & frequentibus plectebatur, & Sanguinis Spurcitie multa polluebatur, ſed in Articulos ἔξω pulſa materia: Toſi erant & numero plures, & magnitudine inſignes. His addendum, quod nequam iſte lurco rem ſuam dilapidavit, & ad nihilum redegit: quocirca Lateribus faciendis, vili & laborioſo operi, victus ergo, ſe dicavit. Hoc negotio magnopere occupatus, mirum quantum ex eo profecit. Appetitus de integro rediit, at nullum invenit cibum: tenuata eſt caro ſupervacua; Corpus fit Athleticum: ſed, quod obſervatu digniſſimum, prorſus evanuere Toſi, ſic, ut plures inde annos, multo labore, victu non immodico vitam finiret.

ADVERTITE, quotquot eſtis, aut humili loco nati, qui tenuiter & parce vivitis, aut excelſo, qui dapſiliter & opipare:

re: veſtrum alteris ſolatio, alteris autem monito ſit, quod quem ex altera parte egeſtas, & inopia, ex altera vero res proſpera pene deſtruxerat, eum (ut dici ſolet) *adverſa* res ſervavit. Adeo natura paucis contenta eſt, & temperantia cum actione contra Podagrum προφυλακτική.

SIN hæc *Arthriticorum* votis minime reſpondeant, (agnoſco enim Alas meas non habere Pennas) audiamus *Horatium* æſtimatorem rerum non iniquum.

*Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus;*
*Non tamen idcirco contemnas Lippus inungi:*
*Nec, quia deſperes invicti membra Glyconis,*
*Nodoſa corpus nolis prohibere Chiragra.*
*Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur ultra.*

Τοῖον ἔφυ τόδε πρᾶγμα.

DISSERTATIONIS PRIMÆ
FINIS.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA